DE EMENDANDO

DIFFERENTIARUM LIBRO

QUI INSCRIBITUR

DE PROPRIETATE SERMONUM

ET

ISIDORI HISPALENSIS

ESSE FERTUR

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

Alcides MACÉ

QUI FUIT

SCHOLAE NORMALIS ALUMNUS

ROMANAE SOCIUS

MAGISTER COLLOQUIORUM GRAMMATICORUM ET DIVIONENSI

LATINORUM IN RHEDONENSI UNIVERSITATE

CONDATE RHEDONUM

APUD FRANCIS SIMON, TYPOGRAPHUM

[illegible], VIA DICTA DES CARMES, [illegible]

MDCCCC

DE EMENDANDO

DIFFERENTIARUM LIBRO

QUI INSCRIBITUR

DE PROPRIETATE SERMONUM

ET

ISIDORI HISPALENSIS

ESSE FERTUR

DE EMENDANDO

DIFFERENTIARUM LIBRO

QUI INSCRIBITUR

DE PROPRIETATE SERMONUM

ET

ISIDORI HISPALENSIS

ESSE FERTUR

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

ALCIDES MACÉ

QUI FUIT
SCHOLAE NORMALIS ALUMNUS
ROMANAE SOCIUS
MAGISTER COLLOQUIORUM GRAMMATICORUM IN DIVIONENSI
LATINORUM IN RHEDONENSI UNIVERSITATE

CONDATE RHEDONUM

APUD FRANCIS SIMON, TYPOGRAPHUM

6, VIA DICTA DES CARMES, 6

MDCCCC

DOCTISSIMO · ET · STRENVO · VIRO

GEORGIO · PERROT

INSTITVTI · FRANCICI · SOCIO
IN · FACVLTATE · LITTERARVM . VNIVERSITATIS · PARISIENSIS · PROFESSORI
SCHOLAE · NORMALIS · SVPERIORIS · DIRECTORI

HOC · OPVSCVLVM
GRATISSIMI · ANIMI · PIGNVS

B · M ·
D · D · D ·
ALCIDES · MACÉ
EIVSDEM · SCHOLAE · ALVMNVS . MEMOR

PRAEFATIO

Opusculum de Differentiis nostrum capiat initium ab hac Differentia : inter Synonymorum collectiones et Differentiarum libros hoc interest quod Synonymorum collectiones, unico sub verbo quod est pro titulo lemmatis, nihil aliud quam verba alia enumerant sensu affinia ; in libris vero Differentiarum, titulus duo aut plura profert verba, vel sensu vel sono tantum similia, quae deinceps distinguuntur commentariis aliquando longioribus.

Tres autem sub Isidori nomine feruntur libri Differentiarum.

Liber Differentiarum quas vocamus Theologicas praebet initium *Inter Deum et Dominum* et complet paginas 77-114 tomi V Arevaliani ; neque ad rem nostram plerumque pertinet.

Liber autem *de Differentiis Verborum*, cujus initium est *Inter aptum et utile* (1), legitur inter paginas 1 et 76 tomi modo laudati.

Denique liber *de Proprietate Sermonum*, cujus initium est *Inter polliceri et promittere*, implet paginas 426-442 tomi VII Arevaliani. Quo de libro agimus.

Librum vero *Differentiarum Verborum* saepius comparabimus cum nostro. Monere igitur debemus aequum lectorem nos titulis, quos supra scripsimus, semper et usque uti : obscuritatis enim ea saltem causa vitanda est qua laborant « Isidoriana » Arevali et reliquae editiones, ubi persaepe liber *de Proprietate Sermonum* nuncupatur liber *de Differentiis Verborum*, et vice versa.

(1) Quo de libro perperam tacere Teuffel. et Schwab. docebimus p. 47, adn. 3.

De libro autem nostro nihil fere constat, praeter virorum vel doctissimorum errores (1). Ceterum editiones anno 1602 recentiores universae transcribunt priores quae pravae sunt (2).

Cum igitur textus noster nondum emendatus sit, non actum agimus, editionem parantes, cujus hoc opusculum praebet prolegomena vel potius duas prolegomenon partes : namque de IX codicibus, quos integros cum textu nostro Lutetiae Parisiorum, Romae, Mediolani contulimus, pauca (3) tantum disserere possumus in hac saltem thesi ; cui materiam satis, ut speramus, amplam suppeditant editiones XXVIII, quarum descriptiones undique congestas primi in catalogum ordinavimus, èt testimonia fere innumera quae ad emendandas Differentias collegimus.

Ex editionibus XXVIII quas catalogo nostro annumeramus, et e reliquis quas aliquando accurate memoramus, fatemur quidem nos quattuor non amplius ad manus habuisse, Margarinianam, primam Breulii, secundam Gothofredi, Arevalianam. Sed, nisi operam omnino perdidit vir peritissimus quisque in arte bibliographica et in studiis Differentiarum, non nihil certi concludi potest e collatis descriptionibus quas nobis praebent I. A. Fabricius, Hainius, Brunetus, Preussius, Arevalus, Orellius, Handius, Rothius, Reifferscheidius, Halmius, Hagenius, Beckius et liber qui inscribitur *Catalogue général des Manuscrits des Bibliothèques publiques des Départements*. Haud alienum esse a re putavimus testimonia illorum confirmare vel explere vel corrigere collata vel inter se, vel cum codicibus, vel cum editionibus quas in promptu habuimus vel (sicubi res in incerto manebat) cum responsis quae sciscitantibus nobis reddiderunt viri docti et officiosi, Ch. Bernoulli, Praefectus Bibliothecae Universitatis Basiliensis, et A. Fécamp, Praefectus Montepessulanae (4), et Lucianus Auvray atque Carolus Bourel de la Roncière, Provinciae Codicum in Bibliotheca nostra Nationali propraetores, et J. Le Hir, Bibliothecae Rhedonum Municipalis Praefectus, et illius Adjutor, Th. Aubin, quos honoris causa nominamus.

(1) Vide p. 30.
(2) Cf. p. 63.
(3) Cf. p. 65.
(4) In qua servatur ille H 306 codex vel potius Thesaurus Differentiarum qui fons est frusti quod Handius (a. 1848), collectionis quam Rothius (a. 1858), Syllogae quam Beckius (a. 1883), fragmenti quod idem (a. 1884) publicaverunt.

Testimonia vero ad Differentias emendandas nobis praebuerunt Varro, Festus, Paulus, Gellius, Nonius, Servius, Pseudoservius, Pseudosuetonius, Isidorus, auctores aliquot varii, — Caper, Agroecius, Beda, Albinus, Pseudofronto, reliqui grammatici Keilii, — fragmenta Handii, Hagenii, Beckii quae ab eodem archetypo pendere docemus, — denique Montepessulana magna Sylloge Beckii. Omnia illa testimonia digessimus in XVI loculos tabulae comparativae per quam, ut speramus, criticis licebit non modo Differentias et nostras et alteras emendare verum etiam nonnulla discernere de fontibus et de affinitate et de imitatoribus variarum collectionum. Itaque non omnino supervacaneum est quod haec prolegomena paginas complent plures quam textus haud ita amplus lemmatum 256 nostrorum.

Ceterum ipse liber *de Proprietate Sermonum* immerito neglegebatur. Etenim lemmata non pauca servavit quae bonae frugis sunt. Nonnulla etiam ex antiquo fonte manantia solus nobis tradidit. Ita e. g. lemma 96 nostrum (ut reliqua illius verba hic omittamus) praebet verbum *tugum ;* legimus enim « *tuga, quibus aqua deducitur* » cum codicibus et primae classis (D M nostris (1) ac *Bongarsiano* (2) Gothofredi) et secundae (R (3) nostro).

Videtur autem verbum quod est « *hoc tugum* » jam aetate M. Tullii exstitisse. In oratione enim quam habuit pro Balbo (XX, 45), Cicero mentionem facit consulti quem *Tugionem* nuncupat. De quo nihil quidem aliunde nobis compertum est ; verba vero Tulliana perlucido sensu ostentare videntur *Tugionem* illum famam adeptum esse quod unice, assidue ac peritissime versatus sit in quaestionibus de *tugis*. Haec enim dicit orator :

(1) De tribus codicum nostrorum classibus, cf. p. 64. — Codex I[ae] classis C omittit lemmata 87-96.

(2) De quo, cf. p. 57.

(3) Reliquos II[ae] classis codices Γ Π φ nostros omittere lemmata 76-171 docemus p. 65. — E codicibus classis III[ae] nostris, B omittit lemma; V praebet *tuga est instrumentum quo aqua deducitur* et in lemmatis titulo scribit *Inter togam et tugam.* Sed reliqui in titulo *tuga* (non *tugam*) et in lemmate praebent. Ceterum in codice V, haud optimae notae et parum antiquo, facile intelleges mendum esse *tugam,* si *togam* antecedere animadverteris. Contra, si quis *tuga* et *quibus* pro mendis habere velit, respondeamus : Atenim quanam de causa orta esse dicas menda ista ? — Attamen perperam Arevalus, post Breulium et Margarinum, *tugam* edit.

« Etenim si Q. Scaevola ille augur, cum de jure praediatorio consuleretur, homo juris peritissimus, consultores suos non nunquam ad Furium et Cascellium praediatores rejiciebat, si nos de *aqua* nostra Tusculana M. *Tugionem* potius quam C. Aquilium consulebamus, quod *assiduus usus uni rei deditus* et ingenium et artem saepe vincit, quis dubitet de foederibus et de toto jure pacis et belli hominibus juris peritissimis imperatores nostros anteferre ? »

Nil vetat nos suspicari consultum illum ab iisdem quaestionibus cognomen accepisse per quas famam meritus est, et « *Tugionem* » a « *tugo* » ortum esse. Unde concluditur verbum hoc quod solus liber noster servavit esse M. Tullii aequale.

Tugo, ut putamus quidem, affinia sunt verba recentissima tria, nostrum (1) *tuyau* (* *tugellum*), et hispanica duo : quorum prius *tueco* (2) significat « *tugum* in cavo trunco putris arboris vetustate formatum » ; alterum quod est *tuétano* (3) significat medullam (neque absurdum est cum tugo comparari os, quippe in quo medulla contineatur ut in tugo aqua).

In Italica vero lingua nullum, ut quidem putamus, *tugi* nostri reperitur vestigium. Neque enim ad rem nostram pertinet italicum *tuga* verbum quod sic definiunt viri docti Tommaseo et Bellini in Lexico (vol. IV, part. 2, p. 1624) : « Tuga... Camera o gabinetto sopra coperta d'un bastimento, ordinariamente a poppa, che serve di stanza al capitano. Rammenta il gr. Τέγη, Τέγος, Tetto, Casa e il lat. Tego ».

Sed inter antiquum *tugum* et recentissima *tuyau*, *tueco*, *tuétano* verba, praebet Medium Aevum duas formas quae ad rem nostram pertinent.

Sub fine enim Glossarii Isidori (col. 32 editionis secundae Go-

(1) Diez quidem et post illum Meyer-Luebke et Koerting et reliqui « *tuyau* » a *tudel* putant ortum esse. Sed, si doctus Diez *tugum* novisset, non verbum *tudel* illud requisivisset ad nostrum saltem *tuyau* explicandum.

(2) Verbum *tueco* geminam formam habet *tueca* : cf. *muñeco, muñeca, hueco, hueca*. Nos vero *tueco* a * *tugecco* ortum esse putamus. Namque de — *ecco* quod in hispanica lingua — *eco* fit, cf. Diez Gramm. in 3ª ed., trad. t. I, p. 334 ac t. II, p. 282 et Meyer-Luebke, trad. t. II, p. 591 (sub fine § 499). Littera autem G accentum praecedens cadit apud Hispanos, cf. Meyer-Luebke, trad., t. I, pp. 398 sq.

(3) Verbum *tuétano* apud Hispanos geminam formam habet *tútano* quae sola reperitur apud Lusitanos. Koerting (nº 8453) jure dubitat a *tutulo* ortum esse *tuétano*. Nos vero putamus * *tugetanum* dedisse *tuétano*. De littera *G* quae cecidit cf. adnot. praeced. Sed accentus e loco suo migravit.

thofredi nostrae) legimus haec : « *Tugellaria, maleficia eo quod supra tegulas sacrificent* ». Quo de lemmate Arevalus perperam scribit *Lege tegularia* (1) ; namque Glossarii lemmata ordinem sequuntur alphabeticum : itaque Glossarium praebet verbum *tegellaria* in pagina quae praecedit *tugellaria*. Credere igitur licet *tugellaria* quoque exstitisse.

Alterum Medii Aevi verbum legimus apud Du Cange : « Tu-« GURIUM (2), calamus quo sanguis Christi hauriebatur e calice, « gallice « tuyau, chalumeau ». Usus Sangerman. in Probat. « Hist. ejusdem abbatiae pag. CXLIX col. I : *Quando diaconus* « *communicaverit, ipse accipiet calicem, et feret supra altare* « *matutinale, et conventus ibit illuc potum cum tugurio argenteo* « *secundum quod ipsi communicaverint* (3). »

Gentem igitur verborum repperimus : *tugum* (Ciceronis aequale), *tugellarium, tugarium* (Medii Aevi), *tuyau* (nostrum), *tueco* et *tuétano* (Hispanica), *tutano* (Lusitanicum).

Item, libri *de Proprietate sermonum* lemma e. g. 162 ex antiquo auctore qui interiit haec verba excerpsit : « Inter *stipulationem, restipulationem, astipulationem* et *constipulationem* hoc interest quod stipulatio certum habet intellectum, restipulatio, si aliter sit factum quam convenit ; astipulatio, ejusdem pecuniae ut vel alter praes (4) esse possit ; constipulatio, contracta (5) restipulatio, si qua dolo malo facta. »

Quod lemma, inter alia (6), videtur auctor libri nostri excerpsisse ex iis Differentiis quas aliqui conscripserunt consulti ; inter quos nominare licet Salvium Julianum auctorem libri *de Ambiguitatibus* (7).

(1) Mign. t. 83, col. 1375, nº 1579.

(2) Nos vero *tugarium* legendum esse suspicamur in textu quem allegat Du Cange.

(3) De usu illo cf. du Cange s. v. *Fistula* 1 : « Excerpta ex Divion. discipl. in Vet. Discipl. monast. p. 369 : *Ut subdiaconus pacem accepit, Fistulam argenteam, cum qua sanguis Domini ebibi solet, in sacculo de panno mundissimo ad hoc ipsum facto reconditam, de armariolo Diacono defert.* » Denique Du Cange laudat Conradum in Chronico Moguntino : *Erant fistulae quinque ad communicandum argenteae deauratae.*

(4) Mira edit (ut plerumque in libro nostro) Arevalus. Textus evulgatus quidem est sed nunquam accurate editus.

(5) Cf. Digesta Justiniani XLV, 1, 52 (ed. Mommsen, 1870, vol. II, p. 658), *In conventionalibus stipulationibus contractui formam contrahentes dant.*

(6) Cf. e. g. Differentiam inter *nubit, denubit, enubit.*

(7) De Salvio Juliano disserimus in thesi nostra gallica, p. 106.

Sed, quanquam plura etiam lemmata allegare possumus quae testentur librum nostrum immerito ab editoribus neglectum esse, haec prolegomenon praefatio jam longior est.

Id igitur restat ut debitam pro acceptis consiliis et optimis et permultis gratiam referamus doctissimo viro LOUIS HAVET, Instituti Francici Socio, in Collegio Francico et in Facultate Litterarum Universitatis Parisiensis Professori, philologici Seminarii latini Directori in Schola Altorum Studiorum; illius enim nomen laudare debebant singulae fere paginae opusculi nostri; quod fuisset « omni parte beatum », si usque quaque potuissemus sequi egregium ducem.

Scribebamus in aedibus Rhedonensis Universitatis ultimis Idibus Aprilibus saeculi undevicesimi.

ORDO RERUM

PARS I

PROSPECTUS QUAESTIONUM

(1) Vitandae obscuritatis causa, in latino quidem opusculo, scribendum est aut ubique *Carolus Roth, Carolum Roth, Caroli Roth, Carolo Roth,* et *Hermannus Hagen, Hermannum Hagen, Hermanni Hagen, Hermanno Hagen* (quod longum est) aut *Rothius, — ium, — ii, — io* et *Hagenius, — ium, — ii, — io*. Si autem de nominibus minus notis interdum agetur, formam genuinam et latina terminatione expeditam obiter indicabimus.

PARS V. — TABULA COMPARATIVA TESTIMONIORUM XVI COLUMNIS INSTRUITUR.

PARS VI. — DE IV INDICIBUS NOSTRIS.

PARS II

PARS BIBLIOGRAPHICA

Ne ambitiosa esse videatur series haec titulorum longior, ingenue profitebimur nos in praesenti opusculo ne semel quidem laudavisse nonnullos librorum qui infra enumerantur. Sed haud alienum esse ab re putavimus hic colligere opera et opuscula ad Differentias nostras emendandas utilia. Attamen, ne cresceret in immensum brevioris libelli pars bibliographica, consulto omisimus et alia quaedam et descriptionem numerorum cum romanorum tum arabicorum quibus paginae ornantur : contentum fore speravimus lectorem aequum mentione cum tituli et urbis et anni tum editorum et numeri voluminum. In talibus notandis, interdum fusius descriptio amplificanda fuit ; sed conati saltem sumus ut eam consulenti liceat laudata opera facile reperire.

ACADEMIA ESPAÑOLA. *Diccionario de la Lengua castillana por la A. E.* Sexta edicion. (Madrid, Imprenta nacional, 1822)(1).

ANTOINE (F.). *Manuel d'orthographe latine d'après le manuel de W. Brambach, traduit, augmenté de notes et d'explications.* (Paris, C. Klincksieck, 1881).

BAEBLER (J. J.). *Beitraege zu einer Geschichte der lateinischen Grammatik im Mittelalter.* (Halle, Buchhandlung des Waisenhauses, 1885.)

BECK (J. W.). *Specimen Litterarium de Differentiarum scriptoribus latinis.* (Groningae, apud P. Noordhoff, 1883.)

(1) Volumen est unicum ubicumque de numero voluminum nihil additur.

Id. *Sulpicius Apollinaris* benevens : *Appendix Dissertationis « De Differentiarum scriptoribus latinis »*. — Programma van het Gymnasium te Groningen voor het Iaar 1884-85 (Groningen, I. Oppenheim, 1884.)

Id. *Zu den Differentiae Sermonum* (in *Archivo Woelffliniano*, 1886, pp. 549 s.)

Id. *Ein verkanntes Suetonfragment* (Ibid., 1889, pp. 261 s.)

Id. *De Synonyma Ciceronis, een handboek der Synonymiek uit den tijd van Fronto, Bijdrage tot de geschiedenis der latijnsche lexicographie* (in Annalibus qui inscribuntur *Conjunctis viribus* III, 3 (1889), pp. 158-186).

Id. *Synonyma Ciceronis* (in *Berliner Philologische Wochenschrift* 8 Mart. 1890).

Becker (G.). *Zu Sueton* (in *Rhenano Museo* 1882, p. 643).

Benoist (E.) et Gœlzer (H.). Nouveau dictionnaire latin-français rédigé d'après les meilleurs travaux de lexicographie latine (Paris, Garnier, 1893).

Boissier (G.). *Étude sur la vie et les ouvrages de M. Terentius Varron*. Prima editio p. 130 (Paris, Hachette, 1861).

Bréal (M.) et Bailly (A.). *Dictionnaire étymologique latin* (Paris, Hachette, 1886).

Catalogue général *des Manuscrits des Bibliothèques publiques des Départements* publié sous les auspices du Ministre de l'Instruction publique. — T. I, pp. 409 sqq. (Paris, Imprimerie Nationale, 1849).

Chatelain (E.). *Dictionnaire latin-français par L. Quicherat et A. Daveluy*. Nouvelle édition revue, corrigée et augmentée par E. C. (Paris, Hachette, 1889).

Ciceronis (M. Tullii). *Opera quae supersunt omnia ex recensione Jo. Gasp.* Orellii. — *Editio altera emendatior.* — *Opus morte Orellii interruptum continuaverunt* Baiterus et Halmius (Turici, Orell et Fuessli; — Londini, Williams et Norgate). — Quod ad rationem temporum pertinet, observandum est eorum octo voluminum sola quattuor prima (quae textum praebent Tullianum) « alteram » editionem habuisse ab a. 1845 ad a. 1861 ; cetera quattuor volumina publici juris facta sunt inter a. 1833 et 1838 : septimum enim post octavum demum editum est. — De re nostra agitur in voluminibus quarto (1861) pp. 1063 sq., et sexto (1836) pp. 379 sq.

[Ciceronis] *quae vulgo feruntur Synonyma ad L. Veturium*

secundum editiones romanas denuo excudi curavit MAHNE (G. L.) (Lugduni Batavorum, Brill 1850).

DESCHAMPS (P.). *Essai bibliographique sur M. Tullius Cicéron* (cum praefatione a *J. Janin* scripta). (Paris, Potier 1863).

ID. — *Supplément au manuel du Libraire. = Dictionnaire de géographie ancienne et moderne à l'usage du libraire et de l'amateur de livres, par un* BIBLIOPHILE. In calce inscriptionis dedicatoriae leguntur litterae initiales P. D. (Paris, Didot, 1870).

DE-VIT (V.). *Totius latinitatis lexicon opera et studio Aegidii* FORCELLINI *lucubratum, ... novo ordine digestum, amplissime auctum atque emendatum cura et studio Doct.* V. DE-V. (Prati, apud Alberghettum M.DCCC.LVIII — M.DCCC.LXXIX).

DIEZ (F.). *Grammatik der romanischen Sprachen von* F. D. Drei Theile in einem Bande. Fuenfte Auflage (Bonn, Eduard Webers Verlag [Julius Flittner] 1882).

ID. — *Etymologisches Woerterbuch der romanischen Sprachen.* Fuenfte Ausgabe (Bonn, Marcus 1887).

DŒDERLEIN (L.). *Lateinische Synonymen und Etymologieen.* 6 voll. cum appendice *Die lateinische Wortbildung* (Leipzig, Vogel 1826-1839).

DU CANGE. — *Glossarium mediae et infimae latinitatis conditum a Carolo Dufresne domino D. C. auctum a monachis ordinis S. Benedicti cum supplementis integris D. P. Carpenterii, Adelungii, aliorum suisque digessit G. A. L. Henschel. Sequuntur glossarium gallicum, tabulae, indices auctorum et rerum, dissertationes. — Editio nova aucta pluribus verbis aliorum scriptorum a Leopoldo Favre, membre de la société de l'Histoire de France et correspondant de la société des Antiquaires de France.* 10 voll. (Niort, L. Favre, imprimeur-éditeur, 1883-1887).

EBERT (A.). *Geschichte der christlich-lateinischen Literatur von ihren Anfaengen bis zum Zeitalter Karls des Groszen.* Zweite verbesserte und vermehrte Auflage. (Leipzig, Vogel, 1889). — Est illud primum trium voluminum quae complectitur opus integrum sub titulo *Allgemeine Geschichte der Literatur des Mittelalters im Abendlande bis zum Beginne des XI. Jahrhunderts.* Cetera enim volumina, semel modo edita, publici juris facta sunt a. 1880 et 1887.

FABRICIUS (I. A.). *Bibliotheca latina nunc melius delecta, rectius digesta et aucta diligentia* I. A. ERNESTI. 3 voll. (Lip-

siae apud Weidmanni heredes et Reichium M. DCC. LXXIII-M. DCC. LXXIV).

FESTI (Sexti Pompei). *De verborum significatione quae supersunt cum Pauli epitome emendata et annotata a Carolo Odofredo* MUELLERO. Editio nova. (Lipsiae, Simmel, 1880.)

ID. *De verborum significatione quae supersunt cum Pauli epitome edidit Aemilius* THEWREWK DE PONOR. Pars I. (Budapestini, Academia Litterarum hungarica, 1889.) Cetera desiderantur, sed ibidem (et Berolini apud Calvary) a. 1893 ab eodem auctore publicatus est *Codex Festi Farnesianus XLII tabulis expressus.*

FREUND (G.). *Grand Dictionnaire de la langue latine sur un nouveau plan. Traduit en français par* N. THEIL. (Paris, Didot, 1855-1865.)

FRONTONIS (M. CORNELII) *et M. Aurelii imperatoris epistulae, L. Veri et T. Antonini Pii et Appiani epistularum reliquiae post a. Maium cum codicibus ambrosiano et vaticano iterum contulit* G. DU RIEU, *recensuit* S. A. NABER. (Lipsiae, Teubner, 1867.)

GELLIUS (A.). *Noctium Atticarum libri XX ex recensione et cum apparatu critico Martini* HERTZ. 2 voll. (Berolini, Hertz, 1883-1885.)

GEORGES (K. E.). *Ausfuehrliches lateinisch-deutsches Handwoerterbuch.* (Leipzig, Hahn, 1880.)

ID. *Lexikon der lateinischen Wortformen.* (Ibid., 1890.)

GODEFROY (F.). *Dictionnaire de l'ancienne langue française et de tous ses dialectes du* IXe *au* XVe *siècle.* (Paris, Bouillon, octavum volumen editum est a. 1895.)

GŒTZ (G.). *Corpus Glossariorum latinorum a* LŒWE (G.) *inchoatum edidit* G. (Lipsiae apud Teubnerum, voll. 2-5 et voluminis sexti fasciculus I et pars prior fasciculi II edita sunt ab a. 1882 ad a. 1899.)

GRŒBER (G.). *Vulgaerlateinische Substrate romanischer Woerter* (in *Archivo* infra descripto *Woelfflinii.* I, 204, 539. II, 100, 276, 424. III, 138, 264. IV, 116, 422. V, 125, 234, 453. VI, 117, 377. VII, 25).

HAGEN (H.). *Anecdota helvetica quae ad grammaticam latinam spectant ex bibliothecis turicensi, einsidlensi, bernensi collecta edidit* H. H. (Lipsiae, apud Teubnerum, 1870.)

HAIN (L.). *Repertorium bibliographicum in quo libri omnes*

ab arte typographica inventa usque ad annum M.D typis expressi ordine alphabetico ... opera L. H. Bis binae partes. (Stuttgartiae apud Cottam et Parisiis apud Renouardum 1826-1838).

HANDIUS (F.). *Incerti auctoris libellus de Differentiis vocum ex antiquo codice suppletus et emendatus* in Programmate inscripto : « *Civium quibus in certamine litterario die XXVI Augusti anni M.DCCC.IIL praemia delata sunt nomina novasque quaestiones in proximum annum propositas promulgat Ferdinandus H. graecarum litterarum professor* » (1). (Ienae, prostat in libraria Braniana 1848).

HAVET (L.). *Hispali* (in *Archivo* infra descripto *Woelfflinii*, IV, 142).

HERTZBERG (H.). *Die Historien und Chroniken des Isidorus von Sevilla. 1er Theil : Die Historien* (Dissertatio Gottingiana 1874).

ID. — *Ueber die Chroniken des Isidorus von Sevilla* (in *Forschungen zur deutschen Geschichte* Band XV pp. 280 sqq. 1875).

HOWARD (A. A.). *Notes on Suetonius.* (in *Harvard Studies in classical Philology* vol. VII, 1896 pp. 205 sqq.).

ISIDORI Hispalensis *De natura rerum liber recensuit* G. BECKER (Berolini, Weidmanni sumptus fecerunt M.DCCC.LVII); ubi cf. p. XV. — Ceterum de Isidorianis editionibus agetur cum recensebimus editiones libri *de Proprietate sermonum.*

JOB (L.). *De grammaticis vocabulis apud Latinos* (thesis Parisiaca 1894).

JUSTINIANI *Digesta recognovit, adsumpto in operis societatem P. Kruegero,* TH. MOMMSEN. 2 *voll.* (Berolini apud Weidmannos 1866-1870).

KEIL (H.). *Grammatici latini ex recensione H. K.* 7 voll. (Leipzig, Teubner 1855-1880).

(1) Plenum et integrum programmatis illius titulum transcribendum esse statuimus, ne lectori benevolo idem quod nobis accidat. Etenim idem Handius, eodem anno in eadem Universitate et apud eundem editorem, publicavit Programma *alterum* cujus et titulum transcribimus : « *Index scholarum hibernarum publice et privatim in Universitate Litterarum Ienensi inde a die XXIII m. Octobris a.* M.DCCC.XLVIII *habendarum auctoritate prorectoris magnifici Ernesti Reinholdi Philosophiae doctoris et professoris P. O. et senatus academici editus. Praefatus est Ferdinandus Handius. Ienae prostat in libraria Braniana.* » In quo amplissimo titulo unum desideratur : illic agitur de *quaestionibus Theocriteis* quae paginas in summa novem (vel potius septem) complent.

KELLER (O.). *Pseudo-Fronto. De Differentiis* (*Gramm. lat. vol. VII Keil*), in *Revue de Philologie de Littérature et d'Histoire anciennes* (1897 p. 111).

KLOTZ (R.). *Handwœrterbuch der lateinischen Sprache* (Braunschweig, Westermann 1879).

KŒRTING (G.). *Lateinisch-romanisches Wœrterbuch* (Paderborn, Schœningh, 1891).

KUEHNER (R.). *Ausfuehrliche Grammatik der lateinischen Sprache*, 3 voll. (Hannover, Hahn, 1877-1879).

LEWIS (Charlton T.) and SHORT (Ch.). *A latin dictionary founded on Andrews' edition of Freund's latin dictionary revised, enlarged and great part rewritten by* L. *et* S. (Oxford, Clarendon Press).

LINDSAY (W. M.). *The latin Language, an historical account of latin sounds, stems and flexions* (Oxford, Clarendon Press, 1896).

MACÉ (A.). *Essai sur Suétone* (Paris, Fontemoing, 1900), ch. VI, § VIII.

MEYER-LUEBKE (W.). *Grammaire des Langues Romanes. Traduction Française :* t. I, *Phonétique*, tr. par E. RABIET (1890); — t. II, *Morphologie*, tr. par A. et G. DOUTREPONT (1894-1895). Ceterum tomi III et ultimi qui inscribitur *Syntaxe* pars prior et recens nequiquam de re nostra agit (Paris, Welter).

MICHEL (M.). *Les Livres des « Différences » d'Isidore de Séville* in *Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux* (1890, n° 2-3 pp. 268-287).

NETTLESHIP (H.). *Contributions to latin lexicography* (Oxford, Clarendon Press, 1889).

NEUE (F.). *Formenlehre der lateinischen Sprache :* T. I et T. III in secunda editione (1877); t. II in tertia 1892 (Berlin, Calvary).

NONI MARCELLI *Compendiosa Doctrina emendavit et adnotavit* L. MUELLER, 2 voll. (Lipsiae, in aedibus Teubneri 1888).

ID. *De compendiosa doctrina I-III edited with introduction and critical apparatus by the late* J. H. ONIONS (Oxford, Clarendon Press, 1895).

ORVILLE (Philippe d'). *Miscellaneae observationes novae* (Amstelaedami, 1749), t. IX, pp. 977-998.

PARIS (G.). *L'Appendix Probi* (in *Mélanges Renier*, Paris, 1887), pp. 301-309.

PAUKER (C. von). *Supplementum lexicorum latinorum volumen prius A-L.* (Berlin, Calvary, 1885) Volumen alterum, defuncto auctore, deest.

POPMA (A.). *De Differentiis verborum libri IV* (Marpurgi, 1646, in-8°).

POTTHAST (A.). *Bibliotheca historica medii aevi* (*Wegweiser durch die Geschichtswerke des Europaeischen Mittelalters*) 4 voll. (Berlin, Weber, 1895-1896), p. 1405.

PREUSS (E.). *Bibliotheca scriptorum classicorum IIte Abtheilung* (Leipzig, Engelmann, 1882), pp. 26 et 52.

RHETORES *latini minores ex codicibus maximam partem primum adhibitis emendabat* C. HALM (Lipsiae, in aedibus Teubneri, 1863).

RITSCHL (F.). *Parergon Plautinorum Terentianorumque vol. I* (Lipsiae, apud Weidmannos 1845) p. 627.

RUECK (K.). *Zu den Differentiae verborum* (in *Archivo* infra descripto *Woelfflinii* 1885, pp. 129-131).

SABBADINI (R.). *Ciceronis Synonyma* (in *Berliner Philologische Wochenschrift* 10 mai 1890).

SCHAEFER (A.). *Abriss der Quellenkunde der griechischen und roemischen Geschichte. IIte Abtheilung : Roemische Geschichte bis auf Justinian. 2te Auflage besorgt von* H. NISSEN (Lipsiae, apud Teubnerum, 1885) p. 177.

SCHANZ (M.). *Suetons Pratum* (in *Hermes* 1895, pp. 401-428).

SCHUCHARDT (H.). *Der Vokalismus des Vulgaerslateins.* 3 voll. (Lipsiae, apud Teubnerum 1866-1868).

SEELMANN (E.). *Die Aussprache des Lateins nach physiologisch-historischen Grundsaetzen* (Heilbronn, Henninger 1885).

SERVII *Grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii recensuerunt* THILO (G.) et HAGEN (H.) vol. I (1878-1881); — vol. II (1883-1884); — voluminis tertii et ultimi pars prior (1887) ; altera pars exspectatur (Lipsiae, apud Teubnerum).

ID. *Commentarii in Virgilium Serviani sive commentarii in Virgilium qui Mauro Servio Honorato tribuuntur ad fidem codicum Guelferbytanorum aliorumque recensuit, et potioribus variis lectionibus indicibusque copiosissimis instruxit* H. A. LION. 2 voll. (Gottingae, apud Vandenhoeck et Ruprecht, 1826).

SITTL (K.). Beckii *Synonyma Ciceronis* recenset in *Archivo Woelffliniano* (1889, pp. 594-596).

SUETONII (C. Tranquilli) *quae supersunt omnia recensuit* C. L. ROTH (Lipsiae in aedibus Teubneri, 1858) pp. XCV et 306.

ID. *Praeter Caesarum libros Reliquiae edidit* A. REIFFERSCHEID (Lipsiae, sumptibus et formis Teubneri, 1860) pp. 274, 450, 559.

TEGGE (A.). *Studien zur lateinischen Synonymik* (Berlin, Weidmann 1886).

TEUFFELS *Geschichte der roemischen Literatur neu bearbeitet von* L. SCHWABE. 5te Auflage. 2 voll. (Lipsiae apud Teubnerum 1890).

THOMAS (E.). *Scoliastes de Virgile. Essai sur Servius et son commentaire sur Virgile* (Paris, Thorin, 1880).

THUROT (C.). *Extraits des manuscrits latins pour servir à l'histoire des doctrines grammaticales au Moyen-Age.* (Paris, 1869, in *Notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque Nationale...*, t. XX, p. 2).

TOMMASEO (N.) e BELLINI (B.). *Dizionario della lingua italiana nuovamente compilato dai signori* T. *e* B. 8 voll., (Torino, Unione tipografico-editrice, 1879).

VARRONIS (M. Terenti). *De lingua latina libri emendavit, apparatu critico instruxit, praefatus est* L. SPENGEL. — *L. patre mortuo edidit et recognovit filius* A. SPENGEL (Berolini, apud Weidmannos, 1885).

VOLLMŒLLER (K.). *Kritischer Jahresbericht ueber die Fortschritte der romanischen Philologie herausgegeben von* K. V. Tomus primus, cui componendo praefuit et Richardus Otto, recenset opera a. 1890 edita (Muenchen, Oldenbourg, 1892); tomi II, in quo opera recensentur ab anno 1891 ad annum 1894 edita, pars prior publicata est Lipsiae apud Rengerum (1896-1897); pars autem altera, Erlangae (1897-1898), apud Iunge qui seriem continuat, ita ut tomi IV tres fasciculi editi nunc sint.

WILMANNS (A.). *De M. Terentii Varronis libris grammaticis scripsit reliquiasque subjecit* A. W. (Berolini, apud Weidmannos, 1864).

WŒLFFLIN (E.). *Archiv fuer lateinische Lexikographie und Grammatik mit Einschluss des aelteren Mittellateins, als Vorarbeit zu einem Thesaurus Linguae latinae herausgegeben von* E. W. (Lipsiae apud Teubnerum). — Edita sunt volumina XI e quibus decimum praebet Indicem primorum X voluminum (1884-1889; 1892-1893; 1896; 1898-1899).

PARS III

DE EDITIONIBUS
LIBRI *DE PROPRIETATE SERMONUM*
ET DE CODICIBUS

---

§ I. — Rem aggredimur a viris doctissimis perturbatam.

1. — *Erraverunt ipsi Rothius et Hagenius de historia editionum Differentiarum nostrarum.* — Historia editionum textus nostri adeo est obscura ut de illa erraverint tota via eruditissimi critici, ut ceteros omittamus, Rothius, Hagenius et ipse Fabricius.

Etenim perperam Rothius, vir ille cum in ceteris Litterarum romanarum partibus doctissimus, tum de hac Differentiarum provincia optime meritus, haec asseruit in praefatione de Pseudosuetonianis Differentiis quas primus accuratius edidit :

« Differentiarum syllogen, quae ita incipit : « *Inter polliceri et promittere* » et Isidori Hispalensis esse fertur, *primi ediderunt* Jacobus du Breul cum Isidoro Paris. 1601 et Dionysius Gothofredus in Grammaticis suis a. 1602, isque Bongarsiano codice usus (1). »

At erravit omnino vir egregius : namque scribere debebat pro suis verbis « *primi* ediderunt » haec « *postremi* ediderunt et omnium *recentissimi* ». Etenim, ut mox docebimus (2), et ante

(1) Roth. ed. Suetonii, p. XCVI.

(2) P. 58, an. 2.

Jacobum du Breul ac Dionysium Gothofredum plures editiones syllogae nostrae publicatae sunt, et post eos ne ulla quidem collectionis totius saltem et integrae (1) recensio denuo facta est a successoribus vel potius compilatoribus Breulii et Gothofredi.

Hagenius autem in Anecdotis Helveticis Differentias suas edens, quae nihil aliud, ut ostendemus (2), quam fragmenta sunt syllogae nostrae, praedicavit in praefationis limine se « primum evulgare » a. 1870 collectionem illam suam quae, jam anno 1487, semel saltem edita est (3) et postea saepius publicata (4).

2. — *Fabricius misere confundit editiones Differentiarum et Synonymorum.* — Fabricium (5) vero manifestum est « Ciceronis » *Synonyma* et *Differentias* confudisse et sibi persuasisse unam eandemque Syllogen esse collectiones duas quae sunt, ut mox ostendemus (6), inter se diversissimae. Etenim vir ille doctissimus haec disserit (vel potius conturbat) in loco (7) ubi nos, vitandae obscuritatis causa, uncis quadratis includemus quae *Synonyma*, non *Differentias*, spectant :

« [*Liber de Synonymis* ad *L. Victurium* sive Veturium, ut vocat Morhofius libro de dilatatione Oratoria p. 10. Sub nomine *Ciceronis Victurii* editum Venetiis 1587.8 memorat Lambecius lib. 2 de Bibl. Vindob. p. 935.] Mihi quidem ad manus est editio Augustana anni 1488 cum inscriptione : *Ciceronis de proprietatibus terminorum.* Incipit : *Inter polliceri et promittere hoc interest, quod promittimus rogati, pollicemur ultro.* [Catalogus Heinsianus refert Ciceronis Synonyma Victurii et Steph. Flisci Venet. 1515.4. Sub Ciceronis nomine primum excusa est Patavii 1482.4. per Matthaeum Cerdonis ;] deinde sine loci notatione 1483.4, sub titulo, *de dictionum proprietatibus*: et Augustae, ut dixi, 1488.4 *de proprietatibus terminorum.* [Est etiam editio

(1) Namque saeculo XIX° Handius, Beckius, Hagenius fragmenta quaedam e codicibus eruerunt. Sed frusta sunt quae ne agnoverunt quidem viri docti collectionis hujus esse membra. Cf. infra, pp. 66 sqq.

(2) Vide infra, pp. 71 sqq.

(3) Cf. infra, § III, 2 ; — Hagen, p. CXVII.

(4) Vide infra, § III, 3 et quae dicemus de editione XIX^a^ nostra.

(5) Fabricii (I. A.) opus descripsimus in parte bibliographica.

(6) Cf. *infra* § II, 2.

(7) Lib. I, cap. VIII, 8 (t. I, p. 214).

Parisiensis apud Ascensium sine anni nota in 8, praemittitur Epistola: *Cice, o Lucio Venturio salutem* : *Collegi ea quae pluribus modis Synonyma dicerentur* etc. Erasmo judice est tumultuaria non adeo multarum vocum collectio, ab aliquo Ciceronis studioso utcunque facta ex ejus scriptis.] »

Uncos nostros ter binos recensenti concludere licet Fabricium quasi per saturam *Synonyma* cum *Differentiis* intermiscere. At saltem, in confusione tanta, vir doctus plerumque titulum *Synonyma* scripsit ; itaque restat unum (non amplius) uncorum par, medium scilicet, de quo fusius nobis agendum sit. Ambigi enim potest utrum de *Synonymis* an de *Differentiis* Fabricius haec scripserit : « Sub Ciceronis nomine primum excusa est Patavii 1482.4. per Matthaeum Cerdonis.» Per Orellium vero res liquet, cujus hoc est testimonium : « — Synonyma Ciceronis. Paduae, per Matth. Cerdonis 1482. die 4 Decembris .4. » (1) Neque enim simile veri est eundem editorem Patavinum eodem anno 1482 *Differentias* quoque edidisse : quas eundem insequenti anno, 1483, edidisse docebimus(2).

Constat igitur Fabricium confudisse *Differentias* et *Synonyma*. Quid quod pagina illius laudata, ordine indigesto conscripta, mendo etiam grammatico fœdatur quod ipsum ad augendam obscuritatem conspirat? Neque enim scribere debebat vir egregius : « Catalogus Heinsianus refert Ciceronis *Synonyma*... Sub Ciceronis nomine primum excusa *est* » verum « *sunt* ».

Sed omisso ambiguitatis vitio, rem dubiam affirmat Fabricius, cum asserit *Synonyma* Ciceronis « *primum* » a. 1482 edita esse. Namque, una cum *Differentiis*, prodierunt in editione nostra septima quae « sine loci et anni mentione publicata » potuit(3), ut videtur, publici juris fieri ante « primam » illam Fabricii a. 1482 demum excusam.

3. — *Arevalus Fabricii erroribus menda sua addit.* — Sed hactenus de *Synonymis*. Ad *Differentias* igitur nostras reversi, ostendemus Arevalum quoque res a Fabricio confusas accepisse ingenue pro recte ordinatis. Haec enim asserit :

(1) T. VI, p. 379. Hainius sub. n° 5 351 idem scribit.

(2) Cf. infra, § III, 1.

(3) Cf. infra, § II, 5 editionem nostram septimam.

« Fabricius, lib. I cap. 8 Bibl. vet. lat., num. 8, refert *Syno-* « *nyma Ciceronis Victurii* edita Venetiis 1587 in-8, 1515 in-4, « eadem sub Ciceronis nomine primum excusa Patavii « 1482 in-4, per Matthaeum Cerdonis, deinde sine loci « notatione 1483, in-4, sub titulo *de Proprietatibus* « *terminorum*. Ad manus habebat editionem Augustanam « anni 1488, cum inscriptione : *Ciceronis de proprietatibus* « *terminorum :* incipit : *Inter polliceri et promittere hoc inter-* « *est, quod promittimus rogati pollicemur ultro* : quod ini- « tium est libri Isidoriani *de Proprietate sermonum* a Bignaeo « et ab aliis editi (1). »

Ubi loci quos litteris rarioribus transcripsimus ostendunt Arevalum et vestigia sequi Fabricii cujus ipsa verba saepius exprimit, et misere confudisse *Differentias* et *Synonyma*. Errat etiam in Fabricio transcribendo Arevalus, cum asserit editionem quae a. 1483 prodierit titulum praebuisse « De proprietatibus *terminorum*. » Namque inscriptam fuisse illam « De *dictionum* proprietatibus » testantur et Fabricius cujus modo verba laudavimus (2) et Orellius (3). Denique Arevalus transcribit, sine ulla adnotatione, verba quibus Fabricius asserit « primam » *Synonymorum* editionem a. 1482 excusam esse.

4. — *De aliquot obscuritatis causis quibus impeditur historia harum editionum.* — Cum igitur non modo Arevalus verum etiam Fabricius et Rothius et Hagenius ipsi de historia editionum quam aggredimur erraverint, speramus fore ut lector benevolus aequa venia nobis ignoscat, si quando a recta via discesserimus (ut fit) in explicanda re admodum conturbata. Obscuritatis enim causae hic plurimae officiunt : namque ex quo ars typographica est inventa, de textu nostro nihil constare videmus : — neque auctoris nomen quem nuncupaverunt plerique Ciceronem (si diis placet), nonnulli Veturium aut Venturium aut Victurium, alii Isidorum, pauci etiam Anonymum, — neque operis titulum quem plerique edidere *de Proprietate* (aut *Proprietatibus*) *sermonum*, *terminorum*, *verborum*, *dictio-*

(1) Arev., t. I, p. 459, — Mig. t. LXXXI, col. 360, 14.

(2) Supra sub n° 2.

(3) T. VI, p. 379. Cf. Hain. sub n° 5352.

num, nonnulli *de Differentiis* aut *Differentia*, pauci *de Elegantia*, — neque textum ipsum aut editionum tenorem quarum praebuerunt paucae collectionem integram, nonnullae additamentis (praesertim in calce) auctam, pleraeque mutilam, fragmentis nunc hic nunc illic incipientibus aut desinentibus : quod ipso XIX° saeculo accidere videmus in editiuncula Handiana et in Hageniana ipsa.

Quid quod sylloge haec, haud ita ampla, persaepe in Incunabulis quasi oppressa est mole ac farragine Differentiarum undecumque congestarum : edita nunc una cum Synonymis Ciceronis nunc sine iis, — illic cum Differentiis Bartholomaei Fatii hic sine iis : notandum est enim, saeculo praesertim XV°, eruditos illos heroas (ne dicamus viros) proprias suas lucubrationes operibus antiquis, ac praecipue grammaticis, ingenue (1) intermiscuisse.

§ II. — XV[i] saeculi editiones recensentur quae sine anni mentione publicatae sunt.

1. — *De editione Zelliana.* — Quidquid id est, conspectum hunc editionum aggredimur quem, inchoatum saltem a nobis, optamus ut emendet suppleatque criticus aliquis, artis bibliographicae peritus.

XV[i] quidem saeculi editiones quaecumque nobis innotuerunt Ciceronis nomine commendantur. E quibus eas priore loco enumerabimus quae sine anni mentione excusae sunt, quanquam haud certum est illas publici juris factas esse omnes ante a. 1483 (quo impressa est prima editionum nostrarum anni numero ornatarum).

Etenim nostrarum editionum sine anno publicatarum prima, quae princeps incedit in catalogo ab Orellio instructo, potest post a. 1483 excusa esse : namque, ut scribit cum Hainio (n° 5348) eruditus ille Tullii editor, ea impressa est ab Ulrico Zell Coloniae; Ulricum autem Zell constat laboravisse usque ad annum 1499 (2).

(1) Vide infra titulos editionum VII, XI, XIV.

(2) Exstat cum nomine Zellii et mentione anni 1466 liber inscriptus *Sancti Joannis Chrysostomi super psalmo quinquagesimo.* — Zellium autem usque ad annum

At rursus, certum est eundem Zellium jam libros excudisse anno 1466, ante quem potuit ille editionem nostram primam publicavisse : namque rogatus a magistratibus Coloniensibus inquirentibus quonam anno inventa esset ars typographica, testatus est eam anno 1440 natam esse. Potest igitur revera *princeps* fuisse editio quam primam Orellius describit. Ceterum haud dubium est plerasque editiones *sine anno* antiquiores esse plerisque ceterarum vel ejusdem XV[i] saeculi. Sequemur igitur, incipientes saltem, Orellii ordinem qui sic (t. VI, p. 379) inchoat descriptionem harum editionum :

« *S. l. et a. 4. Goth. f. 32. verss. 27. Incipit f. 1 a :* Liber de pprietatibus terminoꝝ Cyce//ronis iuxta ordinē Alphabeti compen//diofe editus Incipit Feliciter. // (*i*) Nter polliceri & pmittere hoc inter//eft. qd' pmittimus rogati pollice. // *Vers. ult.* (*26*) *pag. primae :* rege Int' amentē et dementē. amens ī totum. *Finit f. 32 a. versu 23. Quattuor ultimi hi sunt :* minimū p̄me declinacōnis Vefpum neutri ge//neris fecūde declinacōnis. z. z. z. // Liber de pprietatibus terminoꝝ // Ciceronis Finit feliciter. — R R R. (*Guelferbyti et Basileae.*)

Coloniae, Ulricus Zell (1). »

2. — *De titulo Orellianae paginae et de inscriptione qua Zelliana incipit editio.* — Paginae suae jam laudatae et postea laudandae hunc praefixit titulum Orellius :

« — Synonyma s. de proprietatibus terminorum. » Quem litteris rectis et talibus imprimit ut, primo conspectu, lector temere credere possit illum esse titulum ipsarum editionum infra enumeratarum. Verum si illas singulas recensueris in Orelliano catalogo, videbis omnes optime distinguere et separare in inscriptionibus suis titulum *Synonyma* a ceteris titulis Differentiarum, *de Proprietatibus terminorum* aut *de Differentiis* aut *de Elegantia.* Ne ulla quidem duplicem et con-

1499 impressisse testatur vetustum *Chronicon Coloniense*; cf. librum qui inscribitur *Biographie Universelle* (Michaud), ubi de Zellio Meermannus et alii citantur testes locupletes.

(1) Hainianam Zellianae descriptionem laudamus infra sub nº 5. Ceterum Hainius ante Zellianam enumerat editiones nostras V, IV, VII sub suis numeris 5345-5347.

fusum titulum praebet « Synonyma *scilicet*(1) de proprietatibus terminorum ».

Debebat igitur doctus et in ceteris diligens vir Orellius charactere inclinato(2) imprimere aut universas tituli sui proprii litteras aut saltem illam unde ambiguitas oriri posset, scilicet *s.* suam. Quod optime fecit dux quem plerumque(3) sequitur, Hainius.

Etenim quanquam ambas illas syllogas, alteram *Synonymorum*, alteram *Differentiarum*, persaepe legere est in eodem libro seu manu scripto seu typis excuso, attamen diversae omnino sunt et textu et ipsa rerum natura. Namque *Synonyma* « Ciceronis », sub verbo *unico* quod est pro titulo lemmatis, nihil aliud quam verba alia enumerant sensu affinia ; contra, in Differentiis libri *de Proprietate sermonum*, titulus lemmatis profert *duo aut plura* verba, vel sensu vel *sono* tantum similia, quae deinceps distinguuntur commentariis interdum longioribus(4).

Sed, jam misso Orellii titulo illo duplici et confuso, restat ut breviter ostendamus perperam Zellium ipsum scripsisse « Liber de proprietatibus(5) terminorum Cyceronis *iuxta* ordinem alphabeti. » Ut enim per Orellianam descriptionem judicari potest, prior(6) saltem series lemmatum illic editorum sequebatur ordinem Arevalianum qui plerumque discrepat omnino ab alpha-

(1) Nota *s.* nihil aliud quam *scilicet* significare debet, quod testantur innumerae codicum glossae.

(2) Non (ut perperam scripsit) eodem charactere quo titulus editionis in eadem pagina secundae e. g. imprimitur.

(3) « Plerumque » dicimus : nam et editionem II^am^ conspectus nostri Orellius omittit quam Hainius praebet, et contra nostram VI^am^ addit Hainianis.

(4) Exempla *Synonymorum* praebet descriptio editionis Nicolinianae (quam cf. infra § IV, 3) et nostrae undecimae (§ III, 3). — De *Synonymis* v. Teuff. — Schwab. § 186.7 ubi duo saeculi IX codices memorat et Beck. (1883) p. 18, et Hagen. (pp. CXVII et CXX) qui codices enumerat *Synonymorum*. Jam Isidorus in praefatione *Synonymorum* suorum dicebat : « Venit nuper ad manus meas quaedam schedula *Ciceronis*, quam Synonyma dicunt. » (Ubi non esse delendum cum Arevalo verbum « *Ciceronis* » Hagenius probat p. CXX n. *). — Edita sunt *Synonyma* ab Orellio (in editione altera t. IV p. 1063). — *Differentiae* vero sermonum « Ciceronis » nuper publicatae sunt ab Hagenio (p. 275 ; cf. p. CXVII) qui sibi persuasit se eas primum evulgare, — errore, ut mox docebimus, miro.

(5) Orellius quidem scribit « pprietatibus » ; testatur vero Hainius editionem quam describit, pro prima littera P. praebuisse illam P signo ornatam quae « *pro* » significat in codicibus et libris vetustis.

(6) Cf. infra p. 35 a. 3.

betico. Namque Zelliana, ut Arevali editio, incipiebat a Differentia nostra 1ª, et sub fine paginae primae praebebat nostram 11ᵃᵐ ante 12ᵃᵐ nostram (1). Ergo, etiamsi tenor Zellianae non usque quaque cum ordine nostro congruat, tamen certum est illam nequiquam « juxta ordinem alphabeti » digestam esse.

3. — *Quodnam codicis genus Zellius typis mandaverit exquiritur.* — Ultimos autem quattuor editionis versus apud Orellium legenti licet agnoscere Zellium typis excudisse codicem Vaticanum 5134 (aut illius germanum) qui duas continuo Differentiarum series praestat, quarum prior initio et posterior calce cum editione Zelliana congruunt. Ita enim Vaticanum hunc describit Arevalus (t. II p. 285 s. f.) :

« Codex 5134 Vaticanus chartaceus saeculi XV. Adversaria « ad dicendi et Latine scribendi copiam comparandam instructa. « Pag. 64, sine ullo titulo : *Inter polliceri et promittere hoc* « *interest, quod promittimus rogati, pollicemur ultro.* Proce- « dunt ut lib. I Breulii (2), sed postea variant. Desinunt : *inter* « *atramentale et atramentarium : Atramentale vas, atramen-* « *tarius homo qui vendit.* Illico : « Incipiunt Differentiae Marci « Tullii Ciceronis per alphabetum : Inter *abundare* et *super-* « *fluere* hoc interest, abundat unda, superfluit omnis humor. » « Desinit : « Inter *vesper*, et *vespera*, et *vespere*, et *vesperum* « hoc interest, quod vesper et vespere nomina sunt tertiae « declinationis : vespera autem femininum primae declina- « tionis : vesperum neutrum, item secundae declinationis. »

Versus hos ultimos Differentiae inter *vesperam* et *vesperum* recensenti licet agnoscere sive Zellianam editionem sive Orellianam transcriptionem perperam praebere « *minimum* » pro « fe*mininum* » et « vespum » pro « vesperum (3). »

Ceterum illius Vaticani 1534 codicis gemellus plane videtur esse Vaticanus 5203 quem brevius Arevalus describit ita :

« Codex 5203 Vaticanus papyraceus in-4 saeculi XIV aut « sequentis... Pag. 119, sine titulo : *Inter polliceri et pro-* « *mittere*, etc. Desinit, *Inter atramentale*, etc., ut in codice

(1) Etenim verbum *rege* quod legitur in descriptione Orelliana ante verba « *Inter amentem et dementem* » pertinet ad Differentiam « *Inter regium et regem* ».

(2) « Lib. I Breulii » significat librum *De Proprietate sermonum* de quo agimus.

(3) De littera P cf. supra p. 33 a. 5. Hic vero tacet Hainius.

« 5134 Vaticano, de quo paulo ante. Pag. 131 terg., sine titulo, « Differentiae alphabeticae, *Inter abundare et superfluere*, etc. « Des. : *Inter vesper*, etc., ut in cit. Cod. Vat. 5134... (1) »

Item utrique Vaticano supra laudato affinis est Ottobonianus 1261 de quo sic refert summatim Arevalus :

« Codex 1261 Ottobonianus chartaceus in fol... Pag. 148 « M. Tullii Ciceronis dictionum differentiis (*sic*) liber incipit : « *Inter polliceri et promittere*, etc. » Desinit : « *Inter vesper et* « *vespera*, etc. » (2).

Si observaveris in Vaticanis 5134 et 5203 codicibus (ac fortasse in Ottoboniano 1261) priorem (scilicet nostrarum) Differentiarum seriem excipi collectione « *per alphabetum* » digesta, explicabitur quare Zellius editionem suam inscripserit « juxta ordinem alphabeti », quanquam, ut supra (3) diximus, editionis illius pars saltem prior non decurrebat secundum elementorum litteras.

4. — *De Zelliana eadem editione neglegenter ab Halmio descripta, et de notis ab Orellio in ea operis parte usitatis.* — Editio illa cujus exemplaria perraris rariora exstare notat Orellius et quam dicit « Guelferbyti et *Basileae* » servari, eadem est atque editio quam Halmius (p. 1064 tomi IV ejusdem Tullianae editionis) neglegenter satis describit his verbis :

« Cicero de proprietatibus verborum : libellus typis excusus « sub finem saeculi xv, sine loci et anni nota, forma quadru- « plicata, exstat in Bibliotheca Basiliensi Aa. VIII. 15. Incipit : « — Inter *polliceri* et *promittere* hoc interest, quod promittimus « rogati, pollicemur ultro cet. — Jam vero « Differentiae » istae « et cod. Bernensis (4) et Editionis, quam Basileae vidi, diverso « saepe ordine et cum haud paucis aliis varietatibus Isidoro « tribuuntur in ejus Opp. ed. du Breul, p. 281. »

Utrum vero haec Halmii adnotatio et Orellii descriptio supra laudata ad unam eandemque editionem referendae essent ambigi poterat : namque ostendemus (5) alteram editionem ad

(1) Arev. t. II, cap. XCVII f. (Mig. t. 81, col. 811 s. n. 42).

(2) Arev., t. II, p. 409 (Mig., t. LXXXI, col. 911, s. n. 8).

(3) Vide supra, p. 33, a. 6.

(4) Bernensis 178 quem Halmius a. 1862 memoravit, ita ut Hagenius a. 1870 debuerit profiteri codicem illum A suum jam ab Orellii continuatore notatum esse. Cf. infra, p. 71, a. 6.

(5) Cf. editionem VI^am hujus conspectus.

quam ipsam adaptari potest brevior Halmii observatio. Ibi vero hoc jam suspicionem movet de sedulitate Halmii : cui si crederes, illa ejus editio inscripta esset « Cicero de proprietatibus *verborum* » ; sed ceterae editiones sine loco et anno publicatae inscribuntur « de proprietatibus *terminorum* ». Ceterum cum Halmius anno 1862(1) adnotationem suam conscriberet, debebat uno saltem verbo indicare utrum editio illa eadem esset ac prior aut posterior earum quas Basileae exstare scripsisset Orellius, an omnino alia esset. De qua quaestione cum taceat Halmius, dicas « continuatorem operis Orelliani » prorsus ignoravisse partem « operis Orelliani » anno 1836 editam.

Constat vero per responsum quod sciscitantibus nobis misit vir doctissimus Ch. Bernoulli, Bibliothecae Universitatis Basiliensis Praefectus, editionem, quae notam Aa VIII, 15 Halmii temporibus ferebat, nunc sub nova F. L. IV. 2 nota Basileae servari atque apte et plane congruere cum editione sub numero 5348 Hainiano descripta, quae Zelliana est nostra. Disertis enim verbis eruditus Bibliothecae supra laudatae Praefectus Zellianam editionem suam distinguit a duobus(2) exemplaribus suis editionis VI^{ae} nostri conspectus.

Orellianam autem paginam, quam Halmius memorare debebat, nos laudamus saepe : itaque operae pretium est notas quibus utitur Orellius in illo editionum nostrarum conspectu, breviter interpretari. Quarum unam (non amplius) ipse definit in « Explicatione notarum » quam praefixit parti operis sui bibliographicae, ubi scripsit : « R. RR..RRR. diversos raritatis gradus (3). » Ceterum significant :

Custodd... Custodiae (4).
f. 1 a... folio 1 recto.
f. 31 b... folio 31 verso.
Goth... Gothico charactere.
num. fol... numeri foliorum.
Rom... Romano charactere.
Sign./Signat... Signatura (5).
s. l. et a... sine loco et anno.
4... forma quadruplicata.
8... ad formam item pertinet.

(1) De hoc anni numero cf. infra annotationem 6, paginae 71.

(2) Bernoulli verba laudabimus, p. 38, adn. 2.

(3) T. VI. p. 196. — Hainianae vero notae ipsis Orellianis breviores sunt : Hainius e. g. scribit c. pro « *custodiis* ».

(4) Gallice *réclames*.

(5) Series litterarum aut signorum quam sequentes operae poterant folia recens excusa coordinare. — « *Index* » vero verbum quid apud Orellium significet exponemus infra, p. 37, adn. 2.

5. — *De reliquis editionibus sex sine anni nota publicatis.* — Ordinem Orellianum postea sequemur denuo; sed hic inseri jubet Hainius editionem Zellianae persimilem quam praetermisit editor Tullii.

Eruditissimus igitur *Repertorii Bibliographici* auctor, post hanc suam descriptionem Zellianae :

« 5348. — *F.* I *a* : Liber de ꝓprietatibus terminorū Ciceronis « iuxta ordineꝫ Alphabeti compendiofe editus Incipit Feliciter. « *Term. f.* 32 *a l.* 21. : neris fecunde declinationis. *2..2.*//Liber « de ꝓprietatibus terminoꝝ// Ciceronis finit feliciter. *s. l. a. et* « *typ. n.* 4. *g. ch. s. f. c. et pp. n.* 27 *l.* 32 *ff.* (*Colon. Ulr. Zell* »,

Sic pergit ad

II^am^ editionem nostri conspectus :

« 5349. — — *s. l. a. et typ. n. 4. g. ch. rudi, s. f. c. et pp. n.* »

Ubi notae Hainii brevissimae interpretandae sunt ita :

« 5349. Editio praecedentibus similis titulo, sine loco, anno et typographi nomine, forma quadruplicata, gothico charactere rudi, sine signatura, custodiis et paginarum numeris. »

Ubi describitur umbra quaedam editionis, potius quam editio quae tangi possit!

Nunc ad Orellium revertimur qui deinceps cum Hainio plerumque consentit, quanquam, et ipse rursus, addit interdum nonnulla (1) *Repertorio Bibliographico*. Zellianam igitur editionem apud Orellium excipiunt hae :

(**III**^a^ editio nostri conspectus) : « — de proprietatibus terminorum. *s. l. et a. 4. Goth. Sine signat. custodd. et num. fol. f. 30. Fol. 1 a. Index supra descriptus* (2). *In fine :* Liber de proprietatibus terminorum Ciceronis finit feliciter.

Impressit fortasse Bernhardus Richel Basileae. »

(1) Vide infra editionem VI^am^ nostri conspectus quam ignoravit Hainius.

(2) Verbis « *Index supra descriptus* » (aut *Index* in editionibus quae sequuntur describendis) Orellius significat *folium 1 a* praebere titulum hunc : « *Cicero de proprietatibus terminorum* ». Orellius igitur, pro verbo suo quod est « *Index* », « *titulum* » scribere debebat. Neque enim ille verbo eo designat « Registrum » neque « capitum indicem » : namque, cum scribit verba « *Index supra descriptus* », nullum « Indicem » supra descripsit, sed tantum « titulum » editionis Zellianae. Ceterum de III^a^ editione conspectus nostri, Orellius dicit : « *Folio 1 a. Index supra descriptus* » cui Hainius (n° 5350) respondet : « *F. 1 a. Cicero de proprietatibus terminorum.* » — Item de editione IV^a^ conspectus nostri, Orellius scribit : « *Fol. 1 a. Index,* » cui Hainius (n° 5346) respondet : « *F. 1 a tit. : Cicero de proprietatibus terminorum.* » — Item de V^a^ editione nostra Orellius dicit :

— (**IV**ª editio nostri conspectus) :

« — — *s. l. et a.* 4. *Goth. Sine signat., custodd. et num. fol. f.* 31. *verss.* 34. *Fol.* 1 *a. Index. f.* 2 *a :* Cicero de pprietatib' termīoꝝ Et primo dfferētia (*sic*) *Finit f.* 31 *b* : Liber de pprietatib' termīoꝝ // Ciceronis finit feliciter. » — Cf. Hainium 5 346.

— (**V**ª editio nostri conspectus) :

« — — *s. l. et a.* 4. *Goth. cum signat. f.* 33. *verss.* 32 *Fol.* 1 *a. Index.* (1) *f.* 2 *a* : Cicero d pprietatib' termīoꝝ Et prīo differētia. *In fine* : Liber de pprietatib' terminoꝝ // Ciceronis finit feliciter. » Cf. Hainium 5 345.

— (**VI**ª editio nostri conspectus) :

« — — *s. l. et a.* 4. *Goth. f.* 32. (*ultimum vacat*:) *verss.* 34. *et cum sign.* A-D. *F.* 1 *a. Index. f.* 2 *a* : Cicero de pprietabib' terminoꝝ. Et primo differētia // Polliceri (*i*)Nter polliceri & promittere hoc inter // *Verss. ult. pag.* 1 *:* Demonstrare re. Inter demonstrare & monftrare Mō — //. *Finit in pag. aversa folii penult.*: cunde declinatōis // Liber de pbrietatibus (*sic*) terminorum // Ciceronis finit feliciter. (*Guelferbyti et Basileae.*) »

Quam sextam editionem omisit Hainius. Sed Orellianum testimonium confirmatur his disertis verbis v. d. Ch. Bernoulli, Bibliothecae Universitatis Basiliensis Praefecti : « *De cette édi-* » *tion notre Bibliothèque possède deux exemplaires colés* B a. » VI. 22 *et* DE.VII. 7. — *F.* 1 *a.* Cicero de proprieta // tibus » terminorum — *ce qu'Orelli appelle* Index. F. 1 *b.* vacat. (2) »

Tribus editionibus IVªᵉ, Vªᵉ, VIªᵉ communis est mentio : « *Et primo differentia.* » Editio autem VIª videtur, ut Zelliana, et in priore parte sequi ordinem nostrum (namque prima pagina incipit a lemmate nostro 1 et desinit cum nostro 14), et in calce repraesentare differentiam inter *vesperam* et *vesperum* ... « *se-*

« *Fol.* 1 *a. Index* », cui Hainius (nº 5345) respondet : « *F.* 1 *a. Cicero de proprietatibus terminorum* ». — Denique de VIª editione nostra Orellius scribit : « *F.* 1 *a. Index* », cui respondent haec verba (non Hainii qui VIªᵐ nostram omisit. sed) Bernoulli, Bibliothecae Basiliensis Praefecti : « *F.* 1 *a.* Cicero de proprieta//tibus terminorum — *ce qu'Orelli appelle* Index. »

Ubicumque igitur ab Orellio scribitur « Index », « titulus » supra descriptus legi debet.

(1) Quid significet verbum « *Index* » apud Orellium exposuimus in adnotatione praecedenti.

(2) Doctissimi viri Bernoulli verba de Zelliana editione jam laudavimus p. 36 adn. 2.

cunde declinationis. (1) » Ceterum, utrum haec VI^a^ editio sit eadem atque editio quam memorat Halmius, ambigi supra monuimus (2).

Ultimam vero editionum « sine anno » publicatarum sic describit Orellius :

— (**VII^a^** editio nostri conspectus) :

« — *s. l. et a. 4. Char. Rom. f. 36. verss. 35. ternis in columnis. Cum signat. Incipit f. 1 a.* (*cum sign.* A.) : ⁋I Cicero Veturio ſuo Salutem. *F. 26 b.* ⁋I Finis. *F. 27 a.* (cum sign. Diii) ⁋I De differentiis Ciceronis in rebus dubiis. *F. 29 b. : Finis. F. 30 a :* ⁋I Bartholomeus Fabius Ioanni Iacobo. *Finit f. 36 b : versu 33* : li deo debetur. *Sub his* : Finis. »

Una cum Hainio (nº 5 352), in hac VII^a^ editione describenda doctissimus vir Orellius peccat mendo typographico, ut videtur, uno saltem : scilicet perperam scripsit : « Bartholomeus *Fabius* Ioanni Iacobo. » Etenim de Differentiis Bartholomaei *Fatii* hic agitur, ut manifestum est legenti conspectum editionis a Dominico Nicolino a. 1564 publicatae : sunt enim ambae sorores, quanquam haec septima nostra saeculo major est. Cum igitur nostram editionem VII^am^ Orellius non qua solet diligentia descripserit, lectorem aequum remittimus ad descriptionem Nicolinianae, quam infra exponemus (3).

§ II. — XV^i^ saeculi ejusdem recensentur editiones quae anni notam prae se ferunt.

1. — *De editione « **Marci Tullii Ciceronis** » **libelli de dictionum proprietatibus** a. 1483 excusa et de editione libri « **Ciceronis** » **de proprietatibus terminorum** a. 1488 impressa.* — Ante quam de VIII^a^ editione nostra a. 1483 excusa agimus, operae pretium est meminisse doctum virum Fabricium in his rebus se praebere testem non modo non locupletem verum etiam fallacem. *Synonymorum* ergo editionem « a. 1482 Paduae per Matth. Cerdonis » forma quadruplicata publicatam hic

(1) Lemma integrum transcripsimus supra p. 34.

(2) Cf. supra sub nº 4.

(3) Vide infra § IV, 3-4.

consulto omittimus, ut a re nostra alienam (1); et pergimus ad **VIII**am editionem nostram quam ita describit Hainius (2) :

« 5352. — — Marci Tullii Ciceronis libellus de dictionum proprietatibus iuxta alphabeti ordinem feliciter incipit. et primo de dictionibus incipientibus ab A. *In fine* : Hic adeſt finis equiuocorum Ciceronis 1483. *s. l.* 4.22 *ff.* (*Patavii, Math. Cerdo.*) »

Quo de titulo, huic uni editioni proprio, Fabricium cum Hainio et Orellio consentire diximus adversus Arevalum qui, invito duce suo Fabricio, illam perperam asserit inscriptam esse « de proprietatibus *terminorum* (3) ».

Codicem vero haec editio, a. 1483 excusa, publicavit, ut putamus, germanum nostri *V*, qui est Vaticanus 6531 codex saeculi XIV; quem, Aravelo quidem ignotum, contulimus integrum; inter folia 1 et 8 aversum, sine auctoris nomine ac sine titulo, praebet, paucissimis exceptis et paucis additis, Differentias nostras ordine litterarum a quibus incipiunt lemmata digestas.

Sed hactenus de VIIIa editione. Hic quidem de « Xa » statim agere debebamus, cum (praeter unicam hanc exceptionem) ubique rationem temporum sequamur : constat enim editionem quam Xam numerabimus anno 1487 prodiisse, ante « IXam » nostram quae anno demum 1488 excusa est. Attamen commutatio qua hic ordo noster laborabit neque gravior est neque importuna : quippe per quam nobis liceat sub eadem paragrapho conjungere ambas editiones ab eodem Euchario Silber excusas, illam « Xam » jam anno 1487 impressam et XIam a. 1490 publicatam : ambae germanae sunt atque etiam trium sorores editionum Italicarum quibus excipientur in conspectu nostro. Itaque, ordine temporum semel ac levissime intermisso, affines editiones congregabimus quinque.

« **IX**am » igitur vocabimus editionem quam Hainius (4) describit ita :

(1) Illam tamen *Synonymorum* editionem ipsi Hainius (no 5351) et Orellius inserunt inter ceteras *Differentiarum* editiones (t. VI, p. 379). — Vide autem supra (§ I, 2 et 3) quae disseruimus de confusione quam apud Fabricium et illius asseclam Arevalum deprendimus.

(2) Orellii enim descriptio hic luculenta minus est.

(3) Cf. supra § I, 3.

(4) Orellius enim IXam, ut VIIIam nostram, brevius describit.

« 5353. — — *F.* I *a tit.* :Cicero de proprietati//bus terminorum. *F. 2 a* (*c. sign. A* 2) : Cicero de ꝓprietatibus terminoꝝ. Et primo diffe//rentia. *In fine :* Liber de proprietatibus terminorum // Ciceronis finit feliciter. Impreſſum // Auguste per Anthonium Sorg. An//no ſalutis Milleſimo quadringente//ſimo octuagesimo octauo. 4. *g. ch. c. f.* 30 *l.* 35 *ff.* »

Quocum plane consentit Fabricius, bis in pagina supra laudata (1) disserens de hac editione quam « ad manus habebat » et quae, teste illo, a lemmate nostro 1° incipit, sicut et editiones hujus conspectus Iª et VIª (namque cum XIª tum XIXª a lemmate nostro 52°, ut Hagenianae Differentiae incipiunt) (2).

2. — ***De editionibus quas Romae a. 1487 et a. 1490 excudit Eucharius Silber.*** — Inverso igitur temporum ordine leviter et ea de causa quam modo exposuimus, **X**ᵃᵐ nominamus editionem quam Hainius (3) sic describit :

« 5354. — De verborum copia (i. e. Synonyma) et de elegantia Libri II. *Prior incipit :* Cicero Veturio ſuo ſalutem. Collegi ea verba, quae pluribus modis dicerentur, *etc. Alter est Barth. Fatii, cujus ep. ad Joh. Jacobum praeced. In fine :* Impreſſum Romę per Honorabilem uirum Magi—//ſtrum Eucharium Silber : alias Franck. Anno Domini // M.CCCC.LXXXVii. Quinto Idus Iulii. *Seq. :* Epiſtola Pauli Alexii Sulpitiani ad Pueros. *Registr. 4 min. r. ch. 48 ff.* »

In Hainio, ut videtur, transcribendo Orellius perperam substituit « 1488 » pro « M.CCCC.LXXXVii ».

Est illa prima multarum editionum quae inter illum annum 1487 et finem XVⁱ saeculi excusae sunt sub eodem titulo apud Italos : ex quibus ea recentioribus duas Romae, atque unam Venetiis impressas, Hainius et Orellius memorant, quae infra describentur.

Sed, ante quam ad ceteras Orellianas pergimus, hic inseri jubet temporum ratio alteram ejusdem Eucharii Silber editionem quae peccantem raro doctissimi viri Orellii et ipsius

(1) Cf. supra, § 1, 2.

(2) De initio nonnullarum editionum brevius ab Orellio et a ceteris descriptarum nihil certi nobis compertum est.

(3) Orellius enim brevius describit editiones nostras Xᵃᵐ, XIIᵃᵐ, XIIIᵃᵐ et XIVᵃᵐ. — XIᵃᵐ vero omittit ut ipse Hainius.

Hainii in recensendis XV[i] saeculi editionibus diligentiam effugit.

Etenim, ut mox ostendemus Arevalum editionem XIX[am] nostram (quam etiam Orellius ignoravit) tam luculenta descriptione ornare ut per illum nobis liceat septimam nostram — summatim atque etiam levius a Tullii editore memoratam — pernoscere, ita, hic quo pervenimus, Isidoriana Arevali felicissime supplent Orellii Ciceroniana; atque itidem praefatio Arevaliana nobis suppeditat argumenta manifesta quae confirment Hagenium suam Differentiarum collectionem non « evulgavisse primum ».

Ostendit Arevaliana **XI**[ae] editionis nostrae descriptio et titulum *de Elegantia* (quem in decima definienda non explicat Orellius) Differentias designare (1), — et XI[am] nostram gemellam (2) esse illius, quae prima quinque (3) sororum incedit, decimae, — et hanc XI[am] persimilem esse XIX[ae] nostrae (nam, quanquam affinitatem Arevalus ne indicat quidem, utraque praebet easdem Differentias sub eodem titulo *de Differentiis Ciceronis in rebus dubiis* post eadem *Synonyma Ciceronis* et ante easdem *Differentias Bartholomaei Fatii*), — et Paulum Alexium Sulpitianum provinciam, ut videtur, suscepisse recensendarum editionum harum in usum scholarum. Cum tot res et tam variae per Arevalum constent, non alienum esse ab incepto putavimus (demptis modo objurgationibus piis quibus Fatium prosequitur Arevalus) hic inserere (4) luculentam descriptionem editionis nostrae XI[ae] quam strenuus ille et felix interdum scrutator codicum Romanorum eruit intra folia manu scripta codicis Vaticani 2930.

3. — *Italicae editiones anni 1490 ab Arevalo et annorum 1491, 1496, 1500 ab Hainio descriptae.* — « In codice Vaticano

(1) Cf. infra p. 43 a. 6.

(2) Idem est titulus et editor idem; cf. p. 43 a. 6.

(3) Ceterae quattuor uno agmine numerantur apud Orellium in fine p. 379, t. VI, atque item apud Hainium 5354-5357 qui breviter et summatim redegisse videtur descriptionem editionum quas vocamus XII[am] et XIII[am]. Vide enim foliorum summas et cf. supra editionem secundam.

(4) In Arevalo transcribendo, litteris notabimus r a r i o r i b u s quae Differentias proprie spectant nostras.

2930, ait Arevalus (1)..., inter Mss. exstat editio vetus Synonymorum Ciceronis cum prologo ad Veturium, *Collegi,* etc. *Abditum, opertum,* etc. Desinit : *Vela tetendit, moratur, opperitur, cunctatur, praestolatur, exspectat. Sequitur de Differentiis Ciceronis in rebus dubiis : Inter metum, timorem et pavorem,* etc. *Desinit, Nefarius intelligitur a praeteritis; nefandus qui in opere fuit initium. Finis* (2). Sequuntur Differentiae Bartholomaei Fatii cum epistola hujus ad Joannem Jacobum, in qua ait, se Synonyma quoque conscripsisse, sed in Differentiis agnoscendis majorem utilitatem et fructum inesse asserit. Epistola incipit : *Memini, Joannes Jacobe,* etc. Differentiae, *Inter ignavum et pigrum.* Ultima differentia : *Inter latria et dulia. Latria est celebratio, vel veneratio, quae debetur sanctis, et angelis, et divinis cultibus. Dulia est cultio quae soli Deo debetur* (3)... Sequuntur Synonyma, scilicet ejusdem Fatii, ut ex epistola Differentiis praemissa colligitur. Incipiunt : *Abesse, distare, remotum esse.* Finis : *Videtur apparet elucet exstat* (4). *Impressum Romae per honorabilem virum Magistrum Eucharium Silber, alias Franck Anno Domini. M. CCCC. LXXXX. Tertio Nonas Octobris* (5). Additur monitum, quod hoc loco subnectendum censui. — *Paulus Alexius Sulpitianus lectori S.* « Habes jam, puer, *duos* tibi utilissimos *de verborum* « *Copia et Elegantia libros* (6), in quibus si quid tui recto

(1) Arev. t. I pp. 459 sq. (Mig. t. LXXXI coll. 360 sq).

(2) Vide quae disseremus de editione XIX^a^, ubi ostendetur codicem hic publicatum esse Hageniani *Bernensis* germanum.

(3) Sex illas ultimas syllabas transcripsit Orellius in describenda septima editione nostra : inde novum ac fere supervacaneum oritur argumentum quo confirmetur conclusio nostra de affinitate qua junguntur XIX^a^ et septima editiones nostrae et inter se et cum quinque illis Italicis ab a. 1487 ad a. 1500 publicatis.

(4) Non omnino congruit hic ordo XI^ae^ editionis nostrae cum XIX^a^; namque in XIX^a^ hoc *Explicit* ante (non post) *Differentias Ciceronis* legitur. Sed de hac cavillatione *Synonymorum* diverso ordine in utraque editione digestorum disserere et longum est et alienum a re nostra : nam de *Differentiis* non de *Synonymis* agimus.

(5) Hic manifesta est affinitas editionum nostrae decimae et hujus XI^ae^; ceterum cf. sequentem annotationem.

(6) Quanquam Arevalus in fusa illa descriptione unum modo omisit — titulum libri ipsum —, haec mentio manifeste indicat titulum fuisse eundem atque in editione decima, ut supra monuimus.

« praeceptoris (1) judicio est improbandum, canina littera an-
« nota : si quid depravatum, emenda : si quid addendum videtur,
« signa in margine, ita ut nec Ciceronis, nec Fatii id esse
« appareat. Nunquid vero haec quae circumferuntur Synonyma
« sint a Cicerone collecta, etsi certe judicare non possumus,
« tamen vetustorum inscriptio codicum, et Ciceronis adoles-
« centia, in qua et rhetoricos non virili aetate dignos edidit,
« magno sunt argumento, ut ejus, aut alicujus ex Ciceronibus
« esse inficiari non audeam. Vale. »

Monitum hoc, haud ita ineptum, ipsi nos transcripsimus : namque et titulum operis ab Arevalo omissum praebet, et ostendit Paulum Alexium Sulpitianum non male de his studiis meruisse, et docet dedicatas « pueris et praeceptoribus » fuisse editiones fere innumeras illorum « Thesaurorum » et *Copiae* et *Elegantiae*.

Hoc igitur restat ut, sub rubrica, de qua jam affatim disseruimus, ordinemus sorores Hainianas editionum nostrarum XI^{ae} et X^{ae} quam excipiunt in *Repertorio Bibliographico* hae tres :

— (**XII**^{a} editio nostri conspectus) :

« *5355. — — *cum ep. Pauli Alexii Sulpitiani ad L.* (2) *In fine :* Impreſſum eſt opus Romę per Magiſtrū Ste//phanum Planck de Pataula. Absolutumq; // die. XXI. Martii. Anno domini. M.CCCC.XCI. // Regiſter (3). (*sic*) 4 *min. r. ch. c. f.* 46 *ff.* »

— (**XIII**^{a} editio nostri conspectus) :

« * 5356. — — *F.* I *a* (*c. sign. a* 2) : ¶ Cicero Veturio ſuo Salutem. // (C) Ollegi ea uerba quae pluribus modis dice — // rentur : *etc. In fine post Pauli Alexii Sulpitiani ep. ad lect.* : ¶ Impreſſum eſt hoc opus Romae per magiſtrū // Stephanum Plannck Patauienſem : Absolutūq; // die. xviii. mēſis Ianuarii Anno dn̄i. M.cccc.xcvi. *Registr.* 4. *r. ch. c. f.* 28 *l.* 48 *ff.* »

— (**XIV**^{a} editio nostri conspectus) :

(1) Illae igitur editiones *Differentiarum* et *Synonymorum* ad usum scholarum publicatae sunt saeculo XV°. Inde explicatur et contubernium Fatii cum « Cicerone » juncti et multitudo quam videmus editionum et Hagenio et Rothio et tot viris doctis omnino ignorata.

(2) « *Ad laudatos* », scilicet « *ad Pueros* » laudatos ab Hainio in descriptione editionis nostrae X .

(3) Hoc verbo designatur is (ut ita dicam) *Index* quo enumerabantur singula verba a quibus singuli quaterniones libri excusi incipiebant.

« * 5357. — — *F.* I *a* (*ornamento xyl. incluso*) : ¶I Cicero Veturio ſuo ſalutem. // (C) Ollegi ea uerba quae pluribus mo // *etc. F.* 17 *a* (*c. sign. E*) : ¶I De differentiis Ciceronis in rebus dubiis. *F.* 19 *b* : ¶I Bartholomeus Fatius Ioanni Iacobo. *F.* 24 *a* : Finis. // ¶I Impreſſum Venetiis impenſis Manfredi de Su//ſtreuo : et Georgii de Ruſconibus ſocii. // Anno Salutis. M.CCCCC. Die. Xii. decē//bris. Regnante Auguſtino // Barbadico Sereniſſi//mo Venetiarum // Principe. 4. *r. ch. c. f.* 42 *et* 43 *l.* 24 *ff.* »

Ceterum, quod Hainiana aut Orelliana lemmata laudamus ultimum hoc est : eruditus enim vir Hainius libros « anno MD» recentiores omnino spernit ; Orellius vero deinceps *Synonymorum*, non *Differentiarum*, editiones enumerat.

§ IV. — XVI[i] saeculi editiones recensentur, quae publicatae sunt usque ad annum 1564, sub « Ciceronis aut Victurii » nomine.

1. — *De editionibus Venetiis a. 1507 et Mediolani a. 1508 publicatis.* — Attamen doctissimus Tullii editor qui jam praetermisit editionem nostram secundam atque etiam undecimam, poterat catalogum editionum *Differentiarum* « *Ciceronis* » suum perducere usque ad annum 1564, ante quem quater saltem prodiisse docebimus ejus modi syllogas nomine Ciceronis conspicuas. Sed, omisso jam Orellio, pergamus ad inceptum, ut consuevimus, secundum ordinem temporum.

XV[am] editionem nostram vocabimus quam publicatam esse Venetiis a. 1507 sub nomine Ciceronis Victurii testatur Arevalus his verbis :

« Synonyma et Differentiae Victurii prodierant cum Fatii opusculo Venetiis 1507 et sine eo 1552 (1). »

Ubi manifestum est agi de editione quae, ut nostrae VI[a] aut X[a], XI[a], XII[a], XIII[a], XIV[a] et XIX[a] *Differentias* « Ciceronis » inter ejusdem *Synonyma* et *Differentias Fatii* inserebat.

— **XVI**[am] annumerabimus de qua sic pergit Arevalus :

« Indicari video in Casanatensi bibliotheca : *Vetruvius Cicero :*

(1) Arev., t. I, p. 459 (Mig. t. LXXXI, col. 360).

Synonyma cum Differentiis in rebus dubiis, Mediolani 1508, in-4. » In qua facile agnosces titulum et ordinem editionum a nobis jam fusius memoratarum.

Hic consulto, ut diximus, omittimus *Synonyma,* teste Fabricio(1), Venetiis a. 1515 edita.

2. — *De editione Matriti a. 1529 publicata.* — Ad **XVII**am nostram igitur pergimus de qua sic refert Arevalus :

« Dupinius tom. V Bibl. Eccl. tradidit, tractatum de Proprietate verborum Matriti anno 1529 seorsum prodiisse : sed, nisi fallor ipse, deceptus fuit ex libro de Proprietate sermonum, quem ex editione Matritensi omnium Isidori Operum, anno 1599 peracta, Breulius desumpsit(2). »

At reapse falli videtur optimus Arevalus. Mendum quidem quod suspicatur accidisse, numeris confusis inter annos 1529 et 1599, communi typothetarum (et ceterorum mortalium) imbecillitate facilius heu ! explicari potest. Attamen Arevalus perperam testimonio Dupiniano videtur diffidere : namque, ut ipse refert Isidori editor, Dupinius ille affirmabat librum de Proprietate sermonum « seorsum » prodiisse : Grialiana vero sicut Breuliana editio totum « corpus Isidorianum » complectitur; ubi perparvum spatium conceditur libro vel libris de Proprietate sermonum.

Atque etiam Differentiae sub hoc titulo impressae locum tenent minime conspicuum in utraque editione. Grialius enim, inter molem *Etymologiarum* et librum *de Natura rerum* (3), *Differentias* inserit sub titulis *Differentiae sive de proprietate sermonum, Inter aptum et utile,* mox *Idem Differentiarum sive de proprietate sermonum liber ex parisiensi editione, Inter polliceri et promittere*, denique *Differentiarum liber secundus* (4), *Inter Deum et Dominum.* — Item Breulius duos edidit libros hujusce tituli, quorum abdidit priorem, scilicet

(1) Vide supra l. I. § I, 2.

(2) Arev., t. I, p. 455 (Mig., t. LXXXI, col. 357).

(3) Arev., t. I, p. 265 (Mig., t. LXXXI, col. 214, n° 3).

(4) *Tres* titulos sed *duos* tantum libros Differentiarum Grialius numerari volebat : nam sub duobus primis titulis eundem (ut putabat) librum « diverso modo, ut a se et a Bignaeo editum repraesentavit ». Arev., t. I, p. 454 (Mig., t. LXXXI, col. 356, n° 2).

De Differentiis, sive Proprietate verborum librum primum suum (1) inter *Etymologias* (a quibus ipse incipit) et *de Differentiis spiritalibus librum secundum* quem excipiunt *Synonymorum sive Soliloquiorum libri duo* ; posteriorem superaddidit inter appendices operis sui jam paene exacti, inter *S. Ildefonsi librum de Viris illustribus* et *Librum divi Isidori de Viris illustribus qui certe libro S. Ildefonsi de eadem materia praeponi debuit, sed non tam cito nobis innotuit,* sub titulo *Liber de Differentiis, sive proprietate verborum. Qui in editione Matritia anni 1599* (*praeter alios duos superius post Etymologias impressos*) *repertus est* (2).

Neuter(3) igitur librorum quos Grialius et Breulius de *Proprietate sermonum* inscripserunt locum obtinet in illorum « Isidoriano corpore » aut amplum aut conspicuum. Itaque error quem Arevalus, gratuita conjectura, Dupinio exprobrat, sit permirum. Neque enim Dupinius neque quisquam potuit confundere librum ullum *de Proprietate sermonum* abditum a Grialio *intra « corpus* Isidorianum » a 1599 cum libro a. 1529 *seorsum* edito. Quare, quanquam multa de Breulio et Grialio adversus Dupinium effutit Arevalus, credere licet revera librum aliquem *de Proprietate sermonum* a. 1529 esse Matriti editum.

Utrum vero liber a Dupinio memoratus fuerit idem ac noster an Hagenianus libellus(scilicet fragmentum nostri), nos prorsus ignorare fatendum est.

At saltem suspicari licet editionem illam a 1529 publicatam « Ciceronis » non « Isidori » nomen protulisse. Etenim notandum est has *Differentias, usque ad annum saltem* 1564, sub « Ciceronis » semper nomine editas esse,et *ab anno demum 1580* sub Isidori aut Incerti nomine publicatas esse.

3. — *De editione Venetiis anno 1552 excusa et de Nicoliniana anno 1564 publicata ibidem.* — Id restat igitur ut

(1) *Inter polliceri et promittere.*

(2) Arev., t. I, pp. 284 sq. (Mig., t. LXXXI, coll. 223 sq.) transcribit « indicem librorum » Breulii.

(3) Miro errore Teuff. Schwab. § 496, 1 (versu 5) tacent omnino de libro cujus initium est *Inter aptum et utile* (quanquam illum ab Isidoro scriptum esse vix dubitari potest); et contra, sine ulla observatione, tribuunt Isidoro libellum nostrum, cujus initium est *Inter polliceri et promittere* (quanquam haud certum est hunc esse Isidorianum).

duas ultimas « Ciceronianarum aut Victurianarum » editionum hic ordinemus. Quarum prior quae numerabitur

XVIII[a] conspectus nostri, edita Venetiis anno 1552, praebebat cum *Synonyma* tum *Differentias* Victurii, sine opusculo Fatii, teste Arevalo cujus modo verba laudavimus, cum de editione quinta decima nostra ageremus.

Nicolinianam vero editionem, **XIX**[am] nostram, ita describit Arevalus :

« *Vidi*, inquit (1), *librum* hoc titulo : « Synonyma Ciceronis Victurii rhetoris disertissimi cum Stephani Flisci Synonymis *ejusdemque Ciceronis Victurii* itemque Bartholomaei Fatii *Differentiis*. Opuscula aurea, nunc recens recognita, castigata, aucta etc. Venetiis apud Dominicum Nicolinum 1564, in-8. » Prologus : « Cicero Victurius lectori salutem : Collegi ea verba, quae pluribus modis dicerentur, etc. Igitur per alphabetum initium capiamus. Abditum, opertum, obscurum, obumbratum etc. » Finit : « Videtur apparet lucet exstat. » *Sequitur, de Differentiis Ciceronis in rebus dubiis : « Inter metum, timorem et pavorem interest, quod metus futura prospicit, timor subita mentis consternatio. » Paulo post : « Pollicemur ultro, promittimus rogati. » Desinit : « Nefarius intelligitur a praeteritis, nefandus qui in opere fuit principium. »* — Opusculum Fatii incipit, *Inter ignavum et pigrum*, Synonyma Flisci per classes, *Prudentia* etc. Fliscus anno 1456 Venetiis scribebat. »

In hoc ultimo descriptionis versu Migneus ante « *Venetiis* » fixit punctum quod post « *scribebat* » ponere debebat. Mendum et hoc et illud quod mox (2) corrigemus considerans, temere suspicari possis Migneum perperam scripsisse « *Venetiis apud Dominicum Nicolinum 1564* » et 1464 esse legendum : manifestum enim est Arevalum (quem Migneus transcribit) in pagina hac et in sequentibus ordinem servare temporum ; itaque possis tibi persuadere Arevalum editionem anno 1464 (non 1564) publicatam memoravisse ante ceteras quas enumerat annis 1491,

(1) Arev., t. I, p. 458 (Mig., t. LXXXI, col. 359 s.). — Nos descriptionem hanc longiorem transcribentes nihil mutabimus praeter typographicum mendum (de quo textum nostrum vide), et characterem locorum ad Differentias nostras pertinentium : quos inclinatis litteris conspicuos faciemus.

(2) Perperam « 1680 » pro « 1580 » Migneus impressit in ipso describendo titulo editionis *principis* « corporis Isidoriani » ; de qua (in conspectu nostro XX[a] notata) statim, post hanc Nicolinianam, agemus.

1507, 1508 etc. excusas. Ceterum, ut in fine loci supra transcripti videre est, Arevalus notat Fliscum « a. 1456 » (non 1556 !) scripsisse (1).

Verum enim vero constat Migneum nihil peccavisse hic saltem, et Nicolinianam editionem « a. 1564 » excusam esse. Etenim genuina ipsa Arevali editio, una cum Migneano apographo, fert « 1564 » (non 1464). Atque certum est *primum Venetiis* excusum librum anno demum 1469 (non 1464) lucem vidisse (2). — Ceterum, constat quidem et Fliscum et Fatium XV° saeculo (3) vixisse neque aequales fuisse editionis hujus Nicolinianae quae, anno demum 1564 impressa, illorum scripta quaedam lectoribus repraesentabat. Sed jam vidimus plurimas editiones (etiam ante Nicolinianam) repetivisse *Differentias* Fatii post illius mortem : namque obiit ille, ut modo diximus (4), anno 1457 ; editiones vero nostrae e. g. X^a^, XI^a^, XIV^a^, XV^a^ annis demum 1487, 1490, 1500, 1507 publici juris factae sunt.

Constat igitur Nicolinianam a. 1564 editam esse et Fatium in *Differentiis* suis exegisse monumentum, ut non perenne, ita saltem plus quam saeculare.

4. — *Nicoliniana editio comparatur et cum septima conspec-*

(1) Adde quod Arevalus ilico sic pergit : « *Eodem saeculo* inter Hispanos Alfonsus Palentinus... », ubi agit de libro excuso « *anno Incarnationis Domini 1491* » (non 1591 !).

(2) Namque in calce editionis quae inscribitur *M. Tullii Ciceronis epistolae ad Familiares* leguntur illi versus :

« Primus in Adriaca formis impressit aenis
Urbe libros Spira genitus de Stirpe Johannes....
M. CCCC. LXVIIII. »

Cf. Deschamps, *Supplément au man. du libraire* coll. 1319 sq.

(3) De Flisco cf. Arevali testimonium sub fine loci modo laudati. Fatius autem obiit a. 1457, teste Beckio (1883) p. 26 qui perperam *Facium* scribit, cum et tituli editionum X^ae^ et XIV^ae^ nostrarum et ipsum Orellianum mendum (*Fabius*) a nobis (§ 1) notatum testentur Arevalum suo jure scripsisse *Fatium*. Ceterum Beckius editionem Differentiarum Fatianarum, de qua nunc agimus, ignoravisse videtur cum haec dissereret :

« Dicam hic de incognito fere libello. *Bartholomaeus Facius* (qui obiit a. 1457) scripsit librum de differentiis verborum latinorum, qui impressus est Romae a. 1491 (*Vide XII^am^ editionem nostri conspectus*). Ex vetusta editione a Meermanno suppeditata descripsit Bondamus ; ex cujus apographo, quod cum aliis observationibus etiam ad Suetonii aliorumque synonyma pertinentibus extat in codice Leidensi XVIII Periz. O. 47, ego novi. Ex his differentiis paucae ad Facium referri possunt, majorem partem ad collectiones supra descriptas redeunt... »

(4) Cf. praecedentem annotationem.

tus nostri et cum Hageniana. — Editio igitur XIX^{a} nostra, a. 1564 impressa, complectebatur librum *de Differentiis Ciceronis in rebus dubiis* inter *Synonyma* Ciceronis et *Differentias* Fatii. Jure ergo indicavimus editionem hanc XIX^{am} septimae quasi filiam aut neptem esse.

Ut autem codicem a Zellio publicatum modo indicavimus, ita operae pretium est requirere quodnam scripti genus Dominicus Nicolinus typis mandaverit. Erat nimirum codex gemellus Hageniani *A*, scilicet Bernensis 178 : quocum plane consentit, et in limine Differentiarum et in calce, editio Nicoliniana. Ceterum, cum Arevalus in luculenta descriptione indicat lemma editionis 1um (quod est 52um syllogae nostrae) « *paulo post* » excipi lemmate nostro 1°, novum nobis argumentum praebet ut concludamus ordinem Differentiarum omnino eundem esse in editione Nicoliniana atque in Hageniana : *Anecdota* enim *helvetica* praebent, in primo loco, lemma nostrum 52, et in nono, lemma nostrum 1. Jure igitur, cum de fragmento textus nostri Hageniano agemus (1), affirmare licebit egregium illum virum perperam in praefationis limine praedicavisse se « *primum evulgare* differentiarum collectionem » suam a. 1870 quae, ante annum 1570, publicata erat plane eadem in editione Nicoliniana, atque jam antea, ipso inventae artis typographicae saeculo, lucem viderat in editione XI^{a} nostra a. 1490 excusa, ut ceteras (2) vel hac ipsa antiquiores omittamus.

§ V. — XVI^{i} saeculi ejusdem recensentur editiones, quae inde ab a. 1580 et sub « Isidori » nomine publicatae sunt.

1. — *De editione a Margarino de la Bigne a. 1580 curata.* — **XX**^{um} in hoc conspectu locum obtinet prima « Isidoriani corporis » editio quae sic inscribitur (illam enim ad manus habemus) :

« Sancti Isidori Hispalensis episcopi, *Opera omnia quae*

(1) Cf. infra p. 71.

(2) Scilicet editionum XIX^{ae} et XI^{ae} nostrarum affines esse vidimus cum XIV^{am} et XV^{am} tum VII^{am} « sine loco et anno » publicatam. Affines enim inter se agnoscuntur quae *Differentias* « Ciceronis » praebent inter ejusdem *Synonyma* et *Differentias Fatii*.

extant, partim aliquando virorum doctissimorum laboribus edita, partim nunc primum exscripta et castigata. Per ***Margarinum de la Bigne*** Theologum Doctorem Parisiensem. — Indicem librorum, pagina nona, Rerum autem et verborum, et authoritatem Scripturae quae explicantur vel citantur, ad totius Operis finem habes. — ***Parisiis, Apud Michaëlem Sonnium***, via Jacobaea, sub scuto (1) Basiliensi. M.D.LXXX. Cum Privilegio Regis » (in-f°).

Liber duas partes complectitur : quarum prior post titulum undecim folia continet (per signaturam modo ordinata) et mox folia 1-195 ; numeri folia non paginas indicant ; ac perperam duo folia 149 numerantur quorum prius inepte inter ff. 147 et 148, posterius recte inter ff. 148 et 150 inseritur (2). Denique, ut ultimum numerorum male digestorum exemplum praebeamus, folium 152 excipitur folio 155.

Pars autem posterior praebet folia 1-124 ***praeter Indices*** qui (ut fit) per signaturam modo continuantur.

De utraque operis parte conferri potest descriptio quae in Isidorianis Arevali totum implet caput XXXV (3) ; sed corrigendum est mendum vix credibile : typothetae enim Migneani in ipso Margarinianae (4) editionis titulo transcribendo, impresserunt 1680 (pro 1580 !) (5).

Ejusdem generis mendis peccat ipse Margarinus qui e. g. « fol. 37 » pro « fol. 137 » imprimit in priore Indicis sui parte ; quam hic transcribimus, quo facilius comparetur ordo rerum vicinarum libelli nostri et in Margariniana et in duabus, quas modo (6) item descripsimus, editionibus, Grialiana ac Breuliana :

« Index operum S. Isidori Hispalensis episcopi, ex quibus ***ea quae nunc primum prodeunt*** in lucem, adscriptus ad marginem ***Asteriscus*** indicat.

(1) Haec verba in scuto illo leguntur : *Quis contra nos, si Deus pro nobis.* Sonnius Breulii quoque editionem excudit primam ; v. inf., p. 56, an. 1.

(2) Ita bis « 149 » legimus.

(3) Arev., t. I, pp. 258-264 ; (Mig., t. LXXXI, coll. 208-213).

(4) Confusionis vitandae causa inter *Migneum* (Migne) et *Bigneum* (Margarin de la Bigne) saepius in his studiis nuncupatos, scribimus *Migneum* et *Margarinum.*

(5) Cf. Mig. l. l. col. 209 ante *Epistolam dedicatoriam.*

(6) Cf. supra, § IV, 2.

I. Parte hujus operis, haec continentur.

Sancti Isidori Hispa-lensis Episcopi, Originum Lib. 20. repurgati a mendis variisque Lectionibus et scholiolis illustrati per Bonauenturam Vvlcanū Brugensem................ fol. 1

* De Differentiis. lib. I. ex Bibliotheca V. C. Petri Danielis, Aurel. (1).. fol. 37

* *De Proprietate sermonum, Lib. I. Ex ejusdem Bibliotheca*...................................... fol. 142

* De Natura rerum, ad Sisebutum Regem Liber.... fol. 147

Historia, siue chronicon Gothorum...........(*sic*) fol. 138

Historia Vvandalorum (2)........................ 160

Ubi videre est Margarinum sibi persuasisse se primum evulgavisse lemmata *de Proprietate sermonum* libri, cujus tamen, ut non corpus integrum, ita saltem fragmenta varia et plurima jam ante a. 1580 publicaverant editiones plures quam quindecim supra enumeratae. Sed Margarino venia detur erroris Hageniano minoris.

Folium igitur 142 Margarinianum, sub fine alterius columnae, haec praebet : « ... Superbiam deprimit metus diabolicae ruinae, atque exemplum humilitatis Christi. — DIFFERENTIARUM LIBRI PRIMI FINIS. — BEATI ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, DIFFEREN — tiarum, sive de Proprietate sermonum, liber II. — DIFFERENTIA I. — INTER Polliceri et Promittere... » Continuatur series Differentiarum Arevali integra, usque ad ultimam quae sub fine alterius columnae folii 147 legitur :

« 253

inter Homines & Bestias hoc interest, quod bestiae ventri seruiunt, homines rationi. — B. ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI LIBRI SECUNDI ET ULTIMI FINIS. »

Quanquam Margarinus Differentias Theologicas (quae praecedunt), ut pleraque Isidori opera, ornavit « scholiolis » marginalibus, rarioribus quidem et brevissimis, vacant omnino margines libri nostri *de Proprietate sermonum.*

2. — *Quibus de causis reliquas hujus conspectus editiones*

(1) « Fol. 137 » legendum esse monuimus; hic est liber *Differentiarum Theologicarum, Inter Deum et Dominum,* quem excipit noster.

(2) Ceteras indicis Margariniani partes v. apud Arev. l. l. pp. 262 sq. (Mig. l. l. coll. 212 sq.).

brevius memoremus indicatur. — Quod ad rem criticam attinet, bonus Margarinus, ut quidem videtur, unicum codicem, Danielinum suum, ingenue transcribit, ipsa servans menda. Ceterum brevissime enuntiari potest quid inter Margarinianum textum et Arevalianum intersit, dummodo concedas lapsus mere orthographicos aut typographicos hic posse neglegi.

Quindecim quidem sunt menda Margarini quae correxit Arevalus, scilicet in Differentiis 29, 47, 52, 57, 59, 65, 84, (ubi bis peccavit Margarinus), 122, 134, 162, 181, 182, 192, 195. Novem vero lemmata melius servata sunt apud Margarinum, seu quod textum rectum in promptu habebat, seu quod ab utilibus mendis temere corrigendis abstinuit candide. Hae sunt illae IX Differentiae : 3, 185, 191, 199, 212, 213 (ubi ineptum quidem est verbum « *iubemus* » Margarini pro « *inhibemus* », sed rectum ordinem servat), 235, 236, 252.

Perpaulum igitur textus noster profecit inter Margarinum et Arevalum per curas (?) editorum. Quare, cum sequentes editiones et careant vetustate venerabili ac titulis fere ignoratis quibus commendantur primae XIX nostrae, et parum praebeant bonae frugis, nos deinceps ceteras citius lustrabimus.

Excepto enim Gothofredo, qui non proprie editionem curatam paravit sed tantum transcriptionem codicis bonae notae publicavit, ceteri in libello saltem nostro edendo Margarinum sequuntur, seu se illius asseclas esse ingenue profitentur, ut Grialius, — seu textum Margarinianum temeraria « emendatione » et audacia saepius infelici adulterant, ut Breulius (1).

3. — *De prima editione Gothofredi a. 1585 publicata.* — Nos igitur, inceptum catalogum completuri, breviter reliquas editiones recensebimus.

Sequentes ergo, ut consuevimus, temporum ordinem hic nominare quidem debemus primam editionem Gothofredi a. 1585 publicatam ; sed ea, inter XX^{am} et XXI^{am} editionem conspectus nostri memorata, sine numero manebit : namque non praebebat illa Differentias nostras : ad manus enim habemus secundam Gothofredi a. 1602 excusam, ubi videmus folio primo titulum (2),

(1) Nobiscum de Breulio quidem (nam de Grialio tacet) consentit Hagenius p. CXXI.

(2) Quem transcribemus § VI. 1.

secundo autem « *Elenchum et seriem hujus corporis* » ; et ipse declarat Gothofredus, in calce Elenchi :

« *Huic* editioni *accessere* praeter superiora jam *antea* edita : Liber glossarum..., Excerpta Pythoeana..., *Excerpta Differentiarum Bongarsii regii legati* ».

Teste igitur ipso Gothofredo, illa Differentiarum excerpta (scilicet nostra) non complectebatur editio prima « antea edita ».

De qua dum obiter agimus, aequum lectorem monemus perperam in illa describenda Migneum (1) impressisse « 1595 » pro 1585. Etenim Gothofredus in secunda editione repetit epistulam dedicatoriam quam in limine primae suae praeposuerat. Epistula haec, in secunda Gothofredi, excipit « Elenchum et seriem » de quibus modo egimus ; et terminatur his verbis : « Ex musaeo XV. Augusti 1585. » (non 1595 !)

Constat ergo primam Gothofredi editionem et a. 1585 prodiisse et Differentiis nostris caruisse.

Item consulto omittimus, ut supra (2) monuimus, tanquam a re nostra alienam, *Synonymorum* edionem Venetiis a. 1587 excusam, teste Fabricio, cujus locum laudavimus.

4. — *De Grialii editione annis 1597-1599 excusa et de editione quadam XVIⁱ saeculi quam vidit Arevalus.* — **XXI**am vero nostri conspectus numerabimus editionem « corporis Isidoriani » quam Joannes Grial Matriti publicavit annis 1597-1599. Grialium autem ingenue Differentias nostras inscriptione ornavisse hac « *Ex Parisiensi editione* » (Margariniana), jam indicavimus, cum describeremus inter quos et quales titulos editionis suae inseruisset libellum nostrum (3). Quem ne ulla quidem adnotatione Grialius ornavit (4). Quare iniquum sit Hagenio crimini vertere quod Grialium ne nominaverit quidem in praefatione (5).

Ipsi nos lectorem remittimus ad Arevalum qui Grialiani volu-

(1) Sub fine capitis LIV Isidorianorum Arevali.

(2) § I, 2.

(3) § IV, 2 supra. Ceterum de loco quo inseratur libellus noster inter edita Grialii, cf. ipsius praefationem transcriptam a Migneo t. 82 p. 15 (lemmate secundo). — De Differentiis Grialianis cf. et M. t. 81 col. 356 sub n° 2.

(4) V. Arev. t. 7 p. 426 an. 1.

(5) Cf. supra p. 53 an. 1.

minis utriusque titulum (1) editorem et annum (2) praebet, ita ut de forma modo librorum taceat : ea est quae in folio dicitur (3). — **XXII**[am] item editionem conspectus nostri obiter tantum memorabimus de qua sic refert Arevalus (4) : « Vidi quidem editionem in 4° vel 8° magno apud v. cl. Gasparem de Segovia, cujus alii non meminerunt. Etymologiae cum *Differentiis* rerum, et *sermonum* simul editae sunt : sed cum prima folia desiderentur, neque annus, neque locus editionis erui potest ; in fine conspicitur pro stemmate Mercurius alatus cum lemmate, *Docta per orbem scripta fero. Omnia indicia arguunt, ex editione Bignaeana Etymologias et* Differentias *esse desumptas* (5) ».

Quae inclinatis litteris transcripsimus ostendunt et editionem illam nostras quidem Differentias (6) complecti sed a Margarino, ut ipsum Grialium, pendere. Quare inquirere supersedimus utrum ante an post Grialium publicata sit ; sat erit indicare editionem illam quam casus fecit « sine loco et anno » tribui ab Arevalo saeculo XVI°. Ceterum, si numerorum rationem solam consideraveris, veri similius esse videbitur illam ante quam post Grialianam prodiisse, — scilicet inter a. 1580 et a. 1597 quam inter a. 1599 et a. 1601. Nos vero hoc ἀκέφαλον Margarinianae apographon post ceteras XVI[i] saeculi editiones anni mentione ornatas ordinavimus.

§ VI. — XVII[i] saeculi editiones recensentur.

1. — *De Breuliana prima editione et de Gothofredi secunda.* — **XXIII**[um] in hoc conspectu locum obtinebit editio Breulii quae sic inscribitur :

(1) Mig. l. l. col. 214.

(2) Id. ibid. col. 215 sub fine n[i] 33.

(3) Teste Brunet : namque Preussius Isidorianas editiones ab anno demum 1778 incipit ; cf. infra § VII.

(4) T. I p. 438 (Mig. t. LXXXI col. 344 n° 14).

(5) Editionem hanc Arevalus memorat et alias ; cf. Mig. t. LXXXI col. 357 s. f. n[i] 4.

(6) Bignaeana enim editio (quam nos Margarinianam vocamus, ea de causa quam p. 51 adnot. 4 exposuimus) non praebebat Differentias quarum initium est *Inter aptum et utile*. Editio igitur XXII[a], de qua agimus, ex Margariniana nostrum libellum desumpsit.

« Sancti Isidori Hispalensis episcopi *Opera omnia quae extant*, partim aliquando virorum doctissimorum laboribus edita, partim nunc primum exscripta, et ad chirographa exemplaria accuratius quam antea emendata. Per *Fratrem Jacobum du Breul*, monachum S. Germani a Pratis. *Parisiis Apud Michaëlem Sonnium* via Jacobaea, sub scuto Basiliensi (1) M.DC.I (2). »

Volumen « in-f° » comprehendit 975 folia quae excipiuntur Indicibus. Incipiunt autem Differentiae nostrae a f. 281.

Ceterum et exposuimus inter quos et quales titulos Breulius libellum nostrum ordinaverit (3), et indicavimus quanam ratione parum critica ille pauca « emendaverit » in Differentiis nostris a. 1580 a Margarino editis (4).

— **XXIV**a hic annumerabitur Gothofredi editio secunda cujus titulum transcribimus :

« *Auctores Latinae Linguae in unum redacti corpus* : quorum auctorum veterum et neotericorum Elenchum sequens pagina docebit. Adjectis Notis *Dionysii Gothofredi* I. C. una cum indice generali in omnes auctores. *S. Gervasii* (5). *Excudebat Petrus de la Rouiere*. MDCII. »

Voluminis forma est ea quae dicitur in 8° magno ; praeter folia quae jam (6) descripsimus, comprehendit partes tres :

(A) Columnas quae numerantur a 1a usque ad 1924am quae perperam vocatur « 1294 ». (Ceterum de numeris saepius pessime ordinatis cf. Hagen. p. CXX). Binae autem columnae singulas paginas complent ;

(B) Indices ternis columnis instructos et per signaturam (ut fit) modo ordinatos ;

(C) Iterum columnas a 1a usque ad 106am numeratas ubi con-

(1) Cujus descriptionem dedimus, p. 51, an. 1.

(2) Perperam Migneus (in titulo capitis XXXVII Isidorianorum) scribit « 1602 » pro 1601 : Breulius enim epistulam dedicatoriam sic terminat : « *E monasterio nostro sancti Germani a Pratis* (Patris Mign.!), *ad muros Lutetiae Parisiorum erecto, anno Christi 1601, die 15 mensis Septembris.* » In calce tituli editionis Breulianae legitur M.DC.I.

(3) § IV, 2.

(4) § V, 2 s. .

(5) Genavae, apud Helvetios. — Perperam « *Geneuae* » bis scribit Hagenius (p. CXXI) et in media pagina et in adnotatione.

(6) § V, 3. Epistula dedicatoria, de qua egimus, folia duo implet, excepta posterioris pagina altera quae vacat.

tinentur addimenta quibus praecedens Gothofredi editio carebat et quae enumeravimus supra (§ V, 3).

Cum, inter editores Margarino recentiores, solus sui juris sit, ut diximus (1), Gothofredus, paulo fusius de hac editione agemus.

Columnae igitur 79-80 partis (C) hunc titulum praebent :

« Excerpta Differentiarum ab amplissimo viro Jacobo Bongarsio Legato Regio communicata. — Incipit de proprietate sermonum vel rerum. Inter *pollicere* (*sic*) & *promittere* hoc interest, quod promittimus rogati, pollicemur vltrò. »

Finis autem sub media columna 106 legitur :

« Inter *homines* & *bestias* hoc interest, quod bestiae ventri saeuiunt, homines ratione (*sic*). — Explicit Feliciter. »

Inter quas columnas decurrunt Differentiae nostrae, quales enumerantur in tabula nostra testimoniorum comparativa, ne omissis quidem Differentiis quas, a Margarino et Arevalo omissas, numeravimus 52 *bis* et 196 *bis*; sed lemma 75 *bis* nostrum apud ipsum Gothofredum deest(2).

Ceterum Gothofredus, ut videtur, non in animo habuit editionem proprie instruere, sed satis duxit codicem Bongarsianum typis exprimere. Quem transcripsit tam ingenua et simplici diligentia, ut apographon *Bongarsiani* illius (*Bernensis* 224 saeculi X[i] ab Hagenio reperti) praebeat lectori exactum, dummodo cum hoc secundae Gothofredi editionis textu ipse conferas variantes sat paucas lectiones quas Hagenius(3) publici juris fecit.

Cum vero *Bongarsianus*, optimae notae, annumerandus sit primae familiae cum CDM nostris, concludere licet Gothofredum, transcriptione codicis sui sincere impressa, melius de his studiis meruisse quam ceteros qui post Margarinum ediderunt libellum nostrum.

Ceterum, notandum est Arevalo notum esse opus Gothofredi quod, ut ostendemus(4), legerat non in hac secunda verum in tertia Gothofredi editione.

(1) § V, 2, in fine.

(2) De summa nostrorum 256 lemmatum vide Partem IV[am] (scilicet sequentem), § II, 3.

(3) Pp. CXXI-CXXIII.

(4) Infra p. 59.

2. — *Ceterae hujus conspectus editiones « apographa » sunt.* — *De editione Breuliana secunda.* — Quanquam Rothius asseruit editiones nostrarum Differentiarum *primas* esse quae in conspectu nostro XXIII[a] et XXIV[a] numerantur et quae, etiamsi initium capiatur ab Isidorianis editionibus, IV[a] et V[a] vocandae sunt (1), nos tamen illas esse *ultimas* et recentissimas indicavimus (2). Hoc igitur anno 1602 quo pervenimus stantes, observare debemus nos jam omnes (quotquot quidem innotuerunt curiose inquirentibus) editiones enumeravisse quae aliquid novi (seu boni seu mali) afferre possunt ad textum recensendum nostrum.

Etenim, postquam obiter tantum memoraverimus frustulum (3) collectionis nostrae anno 1605 a Putschio (4) publicatum, nihil jam sub numeris nostris XXV-XXVIII ordinabimus praeter apographa mera editionum ante a. 1602 excusarum.

— **XXV**[am] enim nominabimus editionem secundam Breulii (cujus primam modo ordinavimus sub n° XXIII° nostro). Breulii illa « *Editio postrema auctior, et correctior, Coloniae Agrippinae, sumptibus Antonii Hierat, anno* 1617 » publicata est eadem forma qua prior (5) ; sed 631 (non amplius) numerantur paginae, quas sequuntur Indices.

Ceterum de ea conferri potest descriptio quam Arevalus (6) exponit ; ubi Isidorianorum auctor deos deasque omnes testatur alteram Breulianam (quamvis titulo venditetur ambitioso) minime « auctiorem et correctiorem » editionem esse priore, sed tantum mere « repetitam a typographo ». Hactenus igitur de repetitione ista prioris exemplaris « minus eleganti. »

3. — *De tertia Gothofredi editione Hagenio ignota.* — **XXVI**[am] hic annumerabimus tertiam Gothofredi editionem

(1) Cf. supra nostram XX[am] (Margarini), nostram XXI[am] (Grialii) et nostram XXII[am] (Incerti) editionem.

(2) Vide supra § I, 1.

(3) Putschius enim 55 tantum nostrarum 256 Differentiarum novit, quae sunt 55 primae Handianarum 75 illarum. Quodnam autem codicis genus Putschius typis mandaverit, exponitur infra p. 84 an. 1.

(4) Sub titulo « *Incerti de Differentiis vocum* » et p. 2203 collectionis inscriptae : « *Grammaticae latinae auctores antiqui.* » Quam, cum omnibus nota sit, et in promptu stet ubique, fusius describere supersedimus. Cf. Preuss. pp. 25 et 52 ; *Catalogue... des Départements* t. I p. 412.

(5) Teste eodem quem supra laudavimus p. 55 an. 3.

(6) T. I p. 286 sub fine capitis XXXVII.

a. 1622 excusam. Quae transcriptio est secundae tam similis ut Hagenius temere suspicatus sit unam eandemque esse editionem editiones secundam et tertiam (1).

Attamen, quanquam de hac tertia vir egregius, testimonio Reifferscheidiano perperam diffisus, professus est se « tertiae editionis anno 1622 curatae... nulla potuisse, *quamvis cupide inquireret*, notitia imbui, » Hagenius poterat « cupidam » illam curiositatem suam satiare et saturare, si ab evolvendis Arevali Isidorianis non omnino abstinuisset. Quorum sub capitis LIV fine haec leguntur:

« Nec distinctius recensebo Etymologiarum editiones anni 1585 (2), 1602, *1622*, inter Scriptores latinae linguae Dionysii Gothofredi, qui Vulcanium ac Bignaeum secutus est. Titulus editionis anni 1622, apud me hic est : « Auctores Latinae linguae in unum redacti corpus : quorum auctorum veterum, et neotericorum elenchum sequens pagina docebit. Adjectis notis Dionysii Gothofredi I. C., una cum indice generali in omnes auctores. *Editio postrema emendatior, et nonnullis auctior. Genevae excudebat Alexander Pernet*. 1622. in 4. » Col. 809 sunt Etymologiae Isidori, col. 1905 variae lectiones in Isidorum ex Vulcanii editione. »

Quam satis luculentam descriptionem si quis contulerit cum titulo quem supra transcripsimus (3) *secundae* editionis Gothofredianae, facile agnoscet et alteram ab altera satis enucleate distingui, et Arevaliano testimonio testimonium Reifferscheidianum (cui diffisus est Hagenius) plane et omnino confirmari (4).

Ceterum potuerunt exemplaria tertiae editionis Gothofredianae rariora esse apud Helvetios circa a. 1870, quo illa Hagenius « cupide inquirebat », quanquam editio ipsa apud Helvetios excusa est. Verum enim vero, hodie et apud Germanos saltem, haud ita rara sunt; immo prostant pretio vili, ut modo vidimus in catalogo Lipsiensis cujusdam Antiquarii. Quamvis tamen hic

(1) Cf. infra p. 71, an. 5.

(2) « 1585 » legendum esse monuimus supra p. 54, an. 1.

(3) Cf. supra editionem XXIVam nostram.

(4) Arevalus memorat etiam editionem « suam » tertiam Gothofredi et p. 455 ac p. 456 tomi I, et p. 427, adn. 1 tomi VII.

in promptu esset tertia Gothofredi editio, secunda potior esse nobis visa est, praesertim quia cum *secunda* codicem Bernensem 224 Hagenius contulit, ut diximus (1).

Sed de apographo eo editionis XXIV^ae^ nostrae non fuse egissemus, nisi potuisset persuadere incautis auctoritas Hagenii editionem illam non exstare.

§ VII. — XVIII^i^ saeculi editio vel potius apographon recensetur.

XXVII^a^ nostri conspectus editio item apographon est : transcribit enim Grialianam quam XXI^am^ vocavimus. Hanc autem quae unica XVIII° saeculo, ut quidem putamus, textum nostrum protulit, ita describit Arevalus in limine capitis XXXVIII :

« Bartholomaeus Ulloa, bibliopola Matritensis nostris temporibus haud ignobilis, cum intellexisset novam Operum S. Isidori editionem jam pridem desiderari, ad eam elegantibus formis adornandam strenue aggressus est. En titulum : *Divi Isidori Hispalensis episcopi Opera Philippi II Catholici regis jussu et vetustis exemplaribus emendata, nunc denuo diligentissime correcta, atque aliquibus opusculis Appendicis loco aucta. Matriti, typis et expensis Bartholomaei Ulloa : apud monasterium Conceptionis Hieronymianae : anno Domini 1778.* Duo magna volumina in-fol. »

Quam descriptionem apud Arevalum excipit apographon « brevis praefationis » *Editoris* (vel potius *typographi*) Ulloae, qui ingenue haec declarat :

« Eandem ipsam videlicet regiam (2) editionem integram, illustriori forma digestam, elegantioribus characteribus, et nitida charta, id est, optimis typis (quae typographi sunt partes) conspicuam iterum in medium profero. *Neque tibi, lector benevole, aliud a me exquirendum putes.* »

Praefatio illa candida novi « editoris », quam Migneus in duobus (3) voluminibus suis transcribit, modesta promittit

(1) § VI, 1 s. f.
(2) Grialianam designat verbum illud.
(3) Tom. LXXXI coll. 225 sqq. et in limine tomi LXXXII.

sane; sed ne promissa quidem praestat, teste Arevalo qui Ulloae hoc concedit :

« Omnia Isidori opera quae a Grialio edita sunt, eodem ordine iisdemque omnino notis, nullisque aliis novis recuduntur(1). »

Sed rursus haec addit :

« In editionem Grialii non pauca irrepserant menda : *nullum correctum fuit in hac altera editione recentiori Matritensi : plura nec levia adjecta sunt*(2) ». — Quorum exempla refert Arevalus.

Mirum igitur est quod Dr Preussius catalogum suum editionum Isidori Hispalensis ab Ulloana demum incipit. Etenim in titulo quidem suo professus est se eos tantum libros enumerare qui sunt anno 1700 recentiores. Antiquiores tamen editiones describit interdum vir egregius : ita, e. g. (p. 25), fuse memorat collectionis Putschianae longum titulum « 4. Hanoviae *1605*. Typ. Wechelianis ap. Claud. Marnium et heredes Joa. Aubrii. » Attamen, ante Lindemannum ac praesertim ante Keilium, Putschius poterat omitti melius quam, ante Ulloam, ceteri editores Isidori et priores et potiores, Margarinus ac Breulius atque ipse Grialius cujus opus Ulloa mendis tantum ornavit novis.

Quidquid id est, nihil bonae frugis nobis afferre potest Ulloana transcriptio Grialianae quae ipsa transcriptio erat Margarinianae editionis, ut diximus (3), si de libello tantum nostro agitur. Neque tam diu Ulloana illa nos detinuisset, nisi nobis in animo fuisset catalogum supplere Preussii ἀκέφαλον.

§ VIII. — **XIXi saeculi editio vel potius apographon recensetur.**

XXVIIIam denique et ultimam longiori catalogo nostro ascribemus editionem Arevali cujus en titulus :

« S. Isidori Hispalensis Episcopi Opera omnia, denuo correcta et aucta, recensente Faustino Arevalo, qui Isidoriana praemisit, variorum praefationes, notas, collationes qua editas, qua nunc primum edendas collegit, veteres editiones et codices manu

(1) Arev. l. l. p. 287.
(2) Arev. l. l. p. 290.
(3) Supra p. 46, an. 4.

scriptos Romanos contulit. Auctoritate et impensa eminentiss. principis domini Francisci Lorenzanae, Presbyt. Cardinal. Archiep. Tolet. Hispaniar. primatis et generalis inquisitoris. Romae, tt. I-II (1797), — t. III (1798), — t. IV (1801), — tt. V-VI (1802), — t. VII (1803) » (in-4° magno).

Arevali editionem ut saeculo XIX° tribuamus duae suaserunt causae : etenim voluminum septem quibus illa constat tria (non amplius) sub fine saeculi duodevicesimi excusa sunt ; atque e reliquis quattuor ultimum, a. 1803 impressum, est quod textum nostrum praebet. Ceterum, nisi Arevalianam editionem saeculo XIX° ascriberemus, accideret ut, post editiones plures quam decem saeculo quinto decimo ac fere decem sexto decimo publicatas, post quattuor etiam septimo decimo addictas, atque unam saltem (vel potius duas) duodevicesimo annumeratas, deberemus (pro pudor !) confiteri saeculum undevicesimum, intra hos paucos menses interiturum, editionem nostri libelli nullam protulisse. Neque enim pro editione recensendum est apographon Mignei, utile quidem et bibliopolae et nobis inceptum, verum (si de re critica agitur) opus mere typographicum. Ceterum de fragmentis ab Handio a. 1848, ab Hagenio a. 1870, a Beckio a. 1884 publicatis disseremus in parte opusculi hujus sequenti ; ubi cum illis doctis viris disputandum erit ut concedant fragmenta sua nostra esse (1).

Hic igitur Arevalianam saltem lemmatum nostrorum editionem reddemus XIX° saeculo (in his quidem Differentiis emendandis) parum felici ; quo munere accepto, haud multo ditius evadet.

Etenim Arevali editio (si de nostris Differentiis agitur) transcriptio est editionis Breulianae quae (XXIII^a supra vocata) in limine XVIIⁱ saeculi prodiit. Libellum enim nostrum, tanquam « dubium », Arevalus abdidit potius quam edidit sub fine voluminis septimi, quod est *ultimum*, et in « *Appendice* XXIII^a », quae est *paenultima*. Atque imitatus sinceritatem Grialii qui ingenue professus est se Differentias nostras publicare « *ex Parisiensi editione* » Margariniana (2), item Arevalus sub titulo suo « *Appendix* XXIII. — *Differentiarum, sive de Proprietate*

(1) Vide infra, Part. IV. § I, pp. 66-75.

(2) Vide supra, p. 46, an. 4.

sermonum, liber » scripsit eandem mentionem « *Ex Parisiensi editione* » Breuliana.

§ IX. — Concluditur de XXVIII editionibus nostris :

1. — *Libellum nostrum,* « *evulgatum* » *quidem saepe sed nunquam accurate editum, esse emendandum collatis et* CODICIBUS *et* TESTIMONIIS. — Ceterum jam indicavimus Arevali textum, cum editione Isidori principe(1) (Margariniana) comparatum, meliorem quidem esse, sed XV (non amplius) locis, atque etiam pejorem se praestare in Differentiis IX. Mendis enim et innumeris et vix credibilibus scatet, ita ut possimus concludere :

Editiones libelli nostri anno 1602 recentiores universae sunt apographa priorum.

Ex prioribus autem illis possunt « pravae minus » dici si quae codicem *unicum* exprimunt simpliciter cum fere omnibus scripti mendis.

Ergo libellus noster « evulgatus » sane est, ut docuimus, plurifariam sed ne semel quidem editus accurate.

Quare operae pretium est et *variantes lectiones* e codicibus et *testimonia* e ceteris Differentiarum collectionibus eruere et comparare ad emendandum tandem hunc libellum.

2. — CODICES *obiter modo memorare possumus, in praesenti opusculo* TESTIMONIA *post enumeratas* EDITIONES *aggressuri.* — Codices vero contulimus ipsi novem quos inter classes tres dividimus, pro ut :

I. Praebent Differentias 255 (scilicet Arevalianas, additis nostris 52 bis et 196 bis), secundum ordinem Margarinianum quem sequitur, post Breulium, Arevalus.

II. Omittunt, media saltem in collectione, lemmata 76-172. (In hac autem secunda classe distinguuntur duae cohortes, pro ut lemmata nostra 52-59 aut inter lemmata 21 et 22 aut ante lemma 1 inseruntur).

(1) Si de nostro quidem libello agitur. Vindobonensibus enim editoribus linquimus honorem « corporis Isidoriani » tandem recensendi.

III. Suppeditant Differentias plerasque nostras ordine litterarum initialium lemmatum digestas.

Hic vero quo pervenimus, animadvertimus limites hujus opusculi angustos prohibere quominus, post longiorem illum editionum catalogum, fusius disseramus *et de codicibus* (de novem a nobis collatis ac de *Bongarsiano* Gothofredi (1) ac de ceteris quotquot aut per Arevalum (2) aut Rothium (3) aut alios (4) nobis innotuerunt) *et de testimoniis* fere innumeris quae collegimus ad emendandas Differentias nostras.

Quare, cum rerum natura vetet ne hic farragine nimia aequos judices obruamus, *de testimoniis* agemus in postrema opusculi praesentis parte. *Codicum* autem variae lectiones locum invenient minus ineptum in apparatu editionis jam pridem a nobis inchoatae.

3. — *De codicum IX quos ipsi contulimus classibus tribus.* — Verum tamen, quia, vel inviti, in hoc opusculo debemus interdum varias lectiones allegare(5), nobis licebit, vitandae obscuritatis causa, hic compendio saltem coartare nomina codicum quos contulimus. Quorum comprehendit

I^a Classis : *Ordo Arevalianus :*

C... Parisiensis Bibliothecae Nationalis 7520 saec. X.
M... Vaticanus Regin. 310 saec. X (6).
D... Paris. *l. l.* 7581 saec. XI. (7).

(1) Cf. supra, p. 57 f.

(2) *Ottob.* 1261 (Mig., t. LXXXI, col. 911, nº 8); — *Vat.* 1558 (Id., ibid., col. 794, nº 25); — *Vat.* 5134 (Id., ibid., col. 810, nº 39); — *Vat.* 5203 (Id., ibid., col. 811, nº 42). — De quibus (excepto *Vat.* 1558) pauca diximus, cum de Zelliana editione ageremus, supra, § II, 3.

(3) Basiliens. F. III, 15ª (Roth. Suet., p. XCVI et p. XCVIII, n. 97).

(4) Per Hagenium *Bernensem* A 92, n. 34 (Hag. pp. CXIX et LIII); *Bern.* 330 (Hag., p. CXIX); *Bern.* 178 (Hag., pp. CXVII-CXIX). — Per Handium, Beckium, etc. Collectiones diversas Montepessulani H. 306, etc. Ceterum de fragmentis Hagenii, Handii, Beckii disserimus in parte sequenti hujus opusculi.

(5) Vide infra pp. 67, 79 sq., 88 sq. et praefationem hujus opusculi.

(6) Cf. Arev. (Mig. t. LXXXI col. 835 nis 19-23). Arevalus (Ibid. col. 358 nº 8) perperam sibi persuasit hujus codicis inscriptiones indicare libellum esse ab Isidoro scriptum. — Ceterum duo folia amisit M, Ium inter lemmata nostra 116 et 143 et IIum inter ll. 203 et 230 quorum frusta tantum praebet ille.

(7) Prima quattuor lemmata nos'ra desunt. — Codices C D Γ Π φ nostri ascribuntur ei catalogorum Bibliothecae Nationalis parti quae dicitur « ancien fonds latin. »

II^a^ Classis : *Lemmata 77-171 a media* (1) *collectione absunt* :

II^ae^ autem classis 2 cohortes distinguuntur
pro ut *lemmata 52-59*
(II, 1) *aut inseruntur inter lemmata 21-22*,
(II, 2) *aut ponuntur ante lemma 1*,
ita ut dignoscantur in classe IIa :

(II, 1) : *Ordo codicum XVi saeculi* :
Γ... Parisiensis Bib. Nat. 7573.
Π... Ibid. 7659 (a. « 1468. 24 Martii »).
φ... Ibid. 7661 (2).

(II, 2) : *Ordo Hagenianus*:
R... Vaticanus 624 saec. XI (3).

III^a^ Classis : *Ordo alphabeticus* :

B... Ambrosianus B 31 sup. saec. IX.
V... Vaticanus 6531 saec. XIV (4).

Nunc vero, *codicibus* et *editionibus* omissis, accingimur ad comparanda *testimonia*.

(1) Solus R restituit in cauda lemmata illa quae Γ Π φ non reddunt.

(2) Hunc φ notamus littera minore quia lemmata tantum praebet 1-21 (omisso 9) et 52-56.

(3) Cf. Arev. (Mig. t. LXXXI pp. 357 n° 5 et 774 n^is^ 1 et 3) ; cf. et Arevalum ad Differentiam primam. — Vide et an. 1. — Ab eodem archetypo docemus Handiana, Hageniana, Beckiana, alia pendere fragmenta. Cf. infra pp. 66 sqq.

(4) Arevalo quidem ignotum. *Anonymorum* enim collectio est codex V noster. Arevalus autem *Isidori* tantum codices rimabatur.

PARS IV

DE TABULA COMPARATIVA
TESTIMONIORUM FRAGMENTORUMVE
TYPIS JAM ANTEA EXCUSORUM
QUORUM TEXTUS CONFERENDUS EST CUM LIBRO
DE PROPRIETATE SERMONUM

---

§ I. — **Handiana, Hageniana, Beckiana fragmenta et Rothianorum pars a lacunoso pendent archetypo libri De Proprietate Sermonum.**

1. — *De archetypo.* — Indices quattuor instruximus (1) qui sunt duo *Lemmatum* (unus collectionis Rothianae, alter Montepessulanae Magnae) et duo *Verborum* (unus Differentiarum quarum initium est *Inter Aptum et Utile*, alter libri nostri). Id igitur restat ut, his quasi clavibus usi, Differentias nostras cum ternis aliis comparemus ; neque nobis deerimus. Conferentur etiam illae cum nonnullis libris quorum Indices conficere supersedimus, seu quia (ut Keiliana volumina) suos jam habent, seu quia nihil aliud quam fragmenta praebent disjecta ipsius textus nostri : quod certum est de Differentiis ab Handio a. 1848, ab Hagenio a. 1870, a Beckio a. 1884 publicatis.

Quanquam enim ea de re non verum dignoverunt docti illi viri, ediderunt tantum codicis lacunosi apographa lacunosa. Communem igitur ternis iis fragmentis archetypum restituere haud temerarium est.

(1) Quos videre est sub fine hujus opusculi.

Cui lacuna inerat non ita parva, quae absumpserat lemmata nostra 77-171. Praebebat autem partes tres, quarum

I[a] continebat lemmata nostra 52-59 et
II[a] — — lemmata nostra 1-51 et 60-76 (1),
ante lacunam, deinde post illam
III[a] continebat lemmata nostra 172-253 (2).

Archetypi illius exemplar nobis restat codex quem *R* vocavimus et qui eundem ordinem praebet ; verum enimvero in fine suo reservat ac restituit lemmata 77-171 quae desiderantur in Handiano et Hageniano et Beckiano fragmentis. Quae quo modo tres archetypi partes exprimant nunc rimabimur.

2. — *Handianum fragmentum cum archetypo confertur.* — Handianum quidem fragmentum, duobus aliis brevius, lemmata LXXV non amplius(3) suppeditat. Quae utinam Handius singula ordinali numero distinxisset ! Quod cum neglexerit nos egimus et lectorem benevolum rogamus ut ipse agat : hac enim demum numeratione(4) suppleta, facile intellegetur quaenam ratio intercedat inter ordinem lemmatum nostrorum et Handianorum illorum qualia decurrunt inter finem folii 58 versi et folium 61 codicis Montepessulani H 306 saeculi IX sub titulo « *Incerti auctoris de Differentiis vocum. Inter auxilium et praesidium et subsidium* (5). » Ceterum Handius unicum hunc codicem (vel po-

(1) Lemma quidem 78 nostrum apud Hagenium reperitur ; sed eo carent Handius, Beckius, Rothius, quos ab eodem archetypo pendere docemus ; apud Hagenium etiam id lemma locum obtinet qui suus non erat, ut ostendemus p. 69 f.

(2) Lemma quidem 169 nostrum cum Rothiana L[a] Differentia conferri potest ; sed eo carent Hagenius, Handius, Beckius (cf. adnotationem praecedentem). Ceterum vide de Rothiano eo lemmate quae dicemus p. 75 adn. 1.

(3) Handius enim perperam omisit lemma nostrum 176 quod praebet codex Montepessulanus in parte ab ipso Handio edita. Cf. infra § II sub n° 5 fin.

(4) Ceterum numeri quos ipse Handius adnotationibus suis imposuit fere congruunt cum ordine lemmatum, in priore saltem libelli parte ; sed in posteriore sensim discrepant.

(5) Cf. librum qui inscribitur *Catalogue... des départements* t. I, p. 409 qui fragmento Handiano numerum 21 tribuit. Finis hic est : *Inter ultorem et vindicem hoc interest quod ulciscimus nos accepta injuria vindicemus* (sic) *ne accipiamus*. Etenim, quanquam Handius editiunculam suam terminat his verbis : *Palaemon occetenus, insignis grammaticus romanus habetur, qui quondam interrogatus, quid inter stillam et guttam interesset, gutta, inquit, stat, stilla cadit,* tamen certum est verba illa (vel potius illis similia) non esse ultima libelli n. 21 codicis Montepessulani, sed contra prima libelli n. 22, qui pseudosuetonianas praebet Differentias quae in codice excipiunt Handianum fragmentum. Cf. Beck. 1883 p. 9, Reifferscheid., p. 450 et Roth. p. XCV n. 93.

tius hanc codicis partem) novit, cujus collationem ad manus habuit (1).

Nunc, vitandae obscuritatis causa, aequum lectorem monemus nos deinceps notaturos esse ordinem lemmatum nostrorum numeris arabicis, *Handianorum* autem ceterorumque *romanis*.

Apud Handium autem, prima partium trium archetypi modo a nobis restituti ἀκέφαλος est : namque cum archetypus, ut docuimus, lemmata 52-59 continuerit,

I^a pars Handii praebet tantum lemmata nostra
56-59 quae apud Handium numerari debent........ I-IV

Secunda autem archetypi pars apud Handium perturbationem praebet qua neque Hagenianum neque Beckianum fragmentum laborat : Handius enim lemmata 27-42 praeponit illis quae nos 12-26 appellamus. Itaque

II^a pars Handii praebet lemmata nostra
1-11 quae apud Handium numerari debent...... V-XV
27-29 et 31-42 (desunt 30, 39)................ XVI-XXIX
12-23, 25, 24 et 26.......................... XXX-XLIV (2)
43-46 et 48-51 (deest 47)...................... XLV-LII
61-76.................................... LIII-LXIX (3)

Post lacunam, III^a archetypi pars apud Handium omissionibus laborat, et maxime trunca est, ut non capite, ita tamen cauda, ne dicamus ipso trunco. Etenim, cum lemmata nostra suppetierint in archetypo 172-253,

Handius praestat tantum lemmata
172-179 quae apud illum numerari debent LXX-LXXV (4)

Verum enimvero cum Handianum fragmentum nihil praebeat quin nostra in collectione includatur, non obstant omissiones, lacunae et perturbatio secundae parti illius propria quominus agnoscamus ex archetypo nostro pendere omnino mancas et disjectas reliquias illas.

(1) Cur scribamus « *Handianum fragmentum, Handium* », quamvis agamus de « *parte 21^a codicis Montepessulani H 306* » explicatur infra p. 76, an. 2.

(2) Nostrum 25 praeponit nostro 24 Handius sicut et Hagenius ; apud Beckium vero lemmata 24-25 desiderantur una cum ceteris a. 16 ad 48. — Cf. p. 70, an. 2.

(3) Handius enim praebet lemma quod, ab Arevalo omissum, nos 75 *bis* vocamus ; de quo vide infra p. 79.

(4) Handius enim omittit nostra 173 et 176, quanquam hoc 176 integrum legitur in codice. Cf. supra p. 67, an. 1.

3. — *Hagenianum fragmentum cum tribus partibus ejusdem archetypi comparatur.* — De Hageniana collectione idem concludi potest. Namque cum lemmata CLV comprehendat, quorum CLI in textu nostro reperiantur, aequum est judicare lemmata tantum IV subditicia in Hagenianam collectionem irrepsisse, collectionem vero ipsam cum archetypo nostro cohaerere. Ceterum Differentiae illae insertae sub fine demum collectionis inveniuntur, et quidem inter se junctae, quattuor in uno agmine(1). Quid quod omnino syllogae lemmatum hujusce generis, ipsa natura rerum, adulterationi quam maxime obnoxiae erant? Litterati enim et grammatici atque illorum discipuli inventiunculis suis certatim ornare potuerunt collectiones illas quarum singuli fere versus additamentis praebebant ansam (2).

Sed hactenus de quattuor illis Differentiis undecumque congestis. Id restat ut ceteras CLI Hagenianas ostendamus ab archetypo supra definito pendere. Cujus primam partem diximus praebuisse lemmata nostra 52-59; quae reapse Hageniana sylloge repraesentat ab initio. De quo tamen hoc unum observandum est quod librarium (3) fragmenti ab Hagenio editi possumus haud semel deprehendere describentem duorum lemmatum eodem titulo ornatorum alterum tantum. Itaque, cum liber integer *De Proprietate sermonum* Differentiam inter *initium et principium* bis exponat, semel sub n° 58 et iterum sub n° 251, hoc tantum lemma (illo longius) praebetur a librario Hageniano; et substituitur in locum prioris : inde explicatur quod VIII^{um} lemma Hagenii non est 58um sed 251um nostrum. — Item liber integer *de Proprietate sermonum* bina lemmata suppeditat quae inscribuntur *gutta et stilla*, nostra 78 et 238. Hagenianus igitur librarius prius ac melius (4) lemma solum describit, quod

(1) De Differentiis CXLVIII-CLI Hagenii loquimur : quae revera non sub fine operis leguntur sed ipso in calce; namque, ut mox ostendemus, lemmata CLII-CLV a librario restituta sunt postquam totum codicem exaraverat aut exaravisse putabat. Cf. infra p. 70, an. 3.

(2) Cf. Becker p. XV prolegg. ad *Isidori de Natura rerum*.

(3) De codice *A* Hagenii et de frustis codicum quibus *B* et *C* notas tribuit, cf. infra sub n° 4 s. f.

(4) Namque auctoritate Remmii Palaemonis fultum est, cujus verba laudata cf. supra, p. 67, an. 5.

in alterius locum substituit : ita fit ut Differentia Hagenii CXXXIV[a] non sit 238[a] sed 78[a] nostra.

Cum prima igitur archetypi parte Hagenianam collectionem congruere certum est; namque

I[a] pars Hagenii praebet lemmata nostra 52-57 et lemma 251 nostrum, germanum lemmatis 58 nostri, et nostrum 59, quae apud Hagenium numerari debent.......... I-IX (1)

Secunda autem archetypi pars quae reliqua lemmata nostra a 1 ad 76 continebat, fere integra apud Hagenium reperitur. Ubi haec tantum notanda occurrunt : duo lemmata distinguit Hagenius pro duabus partibus nostri 3; nostrum autem 25, sicut et Handius (2), praeponit nostro 24. Ceterum desunt nostra 51. 63. 64. 65. 69; item omissa erant suo loco nostra 60. 70. 72. 73 quae librarius Hagenianus, post exactum codicem, transcriptionem suam jam perfectam recensens, ut videtur, et cum exemplari suo denuo conferens, restituit sub ultimis Hagenii numeris CLII-CLV, *secundum ipsum textus nostri ordinem* (3). His tantum observatis quae modo exposuimus, concludere licebit

II[am] partem Hagenii praebere lemmata nostra 1-50 quae apud Hagenium numerari debent X-LX et 61-76.................................... LXI-LXX (4)

Secunda igitur Hagenii pars satis apte congruit cum eadem parte archetypi supra restituti.

Idem de tertia dici potest quae, post lacunam, lemmata nostra continebat 172-253. Quorum quidem Hagenius omittit quae numerantur 183, 186, 187, 235, 241. Lemma autem 238 nostrum cur locum, qui suus erat, concesserit Differentiae 78 nostrae, sub numero CXXXIV[o] Hageniano, jam explicavimus (5). Simul exposuimus qua de causa lemma 251 nostrum a loco (qui sub fine collectionis Hagenianae suus erat) migraverit, ita ut occupet

(1) Hagenius enim praebet lemma quod, ab Arevalo omissum, nos 52 *bis* vocamus; de quo vide infra p. 79.

(2) Cf. supra p. 68 adnot. 2.

(3) Cf. supra p. 69 adnot. 1.

(4) Hagenius enim praebet lemma quod, ab Arevalo omissum, nos 75 *bis* vocamus; de quo vide infra, p. 79.

(5) Cf. supra, p. 69 adnot. 4.

locum Differentiae 58 nostrae sub numero VIII° Hageniano. Concludere igitur licet :

III^a pars Hagenii praestat lemmata nostra....... 172-253
quae apud Hagenium numerari debent LXXI-CXLVII (1).

4. — *De Hageniana editione fragmenti Differentiarum nostrarum.* — De ultimis octo Hagenii Differentiis jam egimus, quae sunt quattuor subditiciae (2) CXLVIII-CLI et quattuor a librario prius omissae et in calce restitutae *secundum ipsum textus nostri ordinem* (3).

Quare, cum Hageniana collectio lemmata quattuor tantum subditicia contineat et cetera CLI praebeat cum libro nostro congruentia, haud temerarium est affirmare illa cum archetypo quem restituimus consentire. Neque ordo trium partium repugnat neque numerus lemmatum, qui cur minor sit apud Hagenium explicant et omissiones supra enumeratae et praesertim lacuna illa magna quae communis est cum Hagenianis Differentiis tum Handiano frusto et Beckiano fragmento.

Perperam igitur eruditissimus Anecdoton Helveticorum editor asserebat in limine praefationis suae (4) : « Quae *hoc loco primum evulgatur* Differentiarum collectio ». Poterat enim eam diligentius conferre cum editionibus aut Arevaliana aut Gothofrediana de quibus ipse docte disserit, quanquam de tertia Gothofredi editione Reifferscheidiano testimonio diffidere perperam videtur (5) ; et debebat agnoscere collectionem suam (exceptis quattuor non amplius Differentiis) jam antea fuisse, ut non accuratius editam, ita saltem saepius « evulgatam ». Item poterat profiteri codicem Bernensem illum 178, ducem *A* suum, jam fuisse memoratum ab Halmio qui a. 1862 publicaverat et titulum et tria prima lemmata Hageniani ejus codicis, in calce voluminis quarti editionis alterius operum Ciceronis (6).

(1) Hagenius enim praebet lemma quod, ab Arevalo omissum, nos 196 *bis* vocamus; de quo vide infra, p. 80.

(2) Cf. supra, p. 69.

(3) Vide supra, p. 70, an. 3.

(4) P. CXVII.

(5) Hag. p. CXXI in annotatione. Cf. supra pp. 58 sqq., et p. 50.

(6) P. 1064 (Cf. ibid., ante paginam 929, Halmii praefationem ad *Fragmenta*, quae scripta est « Monachii ipsis Calendis Maiis a. 1862. ») Cf. p. 35 an. 4.

Ad editionem ergo libri de *Proprietate Sermonum* instituendam Hagenianae curae multum conferre possunt, quanquam haud diligentissime, ut ostendimus, incubuit opusculo illi vir egregius; neque, prae temporum ratione, potuit uti Beckianis studiis neque Keilii nosse tomum sextum nec septimum, Differentiarum collectionibus refertum, volumen (1). Ceterum, praeter codicem Gothofredi *Bongarsianum*, quem repperit quidem sed tanquam alienum a collectione sua ipse neglexit (2), mancos tantum codices in promptu habuit qui ne optimae quidem notae fuerunt, Bernensem illum 178 saeculi IX quem (vocatum *A*) ducem sequitur (3) et duo frusta inventa in codicibus Bernensibus *A* 92 nr. 34 saec. XI-XII (4) et 330 saec. X (5). Qui ambo primas 55 tantum Handianarum Differentiarum continent.

Quanquam autem Handianus ordo non omnino, ut diximus, cum Hageniano congruit, attamen Hagenius jure agnovit frusta illa provinciae suae esse (6). Debebat igitur vir doctissimus item agnoscere *Bongarsianum* ipsum Gothofredi codicem ab ordine quidem suo sed non a collectione sua esse alienum.

5. — *De fragmento a Beckio anno 1884 collato.* — Simili errore, vir eruditus Beckius contulit cum editione non Arevaliana aut Migneana sed Hageniana fragmentum Montepessulanum cujus varias lectiones anno 1884 publicavit (7). Attamen, exceptis IX primis illarum Differentiarum, fragmentum Beckia-

(1) Etenim Hagenianum volumen, quanquam inscribitur *Supplementum* Keilii, editum est a. 1870. Sextus autem Keilii tomus publicatus est a. 1878 et septimus a. demum 1880. Hic tamen solus multo plura de Differentiis testimonia praebet quam ceteri tomi Keilii conjuncti. Quod videre est primo statim conspectu, si evolveris tabulam nostram testimoniorum comparativam. Cf. p. 77 adn. 1.

(2) Vide quae declarat vir doctus p. CXXI : « Hanc Breuilii et Gothofredi collectionem... tamen denuo typis describere nolui. » — Ceterum Hagenius ignorat editionem Margarini.

(3) De *A* cf. Hagen. pp. CXVII-CXIX.

(4) De codice *B* Hagenii cf. pp. CXIX et LIII.

(5) De codice Hagenii *C* cf. p. CXIX et infra p. 84 an. 1.

(6) P. CXIX : « Ceterum codicum *B* et *C* non idem ordo est, qui in *A* conspicitur : nam post p. 277, 10 etc. »

(7) In appendice programmatis quod inscribitur « Sulpicius Apollinaris », pp. 51-57. Cf. partem bibliographicam hujus opusculi.

num sequitur ordinem Arevali, a quo saepius, ut vidimus, discrepat Hagenius; item Beckius lacunas sedulo Hagenianas explet, quod jampridem fecerant Arevalus et Gothofredus, ut priores omittamus.

Itaque, ut triumphaverat Hagenius « evulgans » evulgata, ita Beckius ovavit, expleta explens. Nos vero, qui gregarii militis more, triumphalem pompam jocis sequimur, decet meminisse Beckium, eruditissimum virum, de studiosis Differentiarum optime meruisse: cujus opuscula tot et toties laudamus (1). Attamen si Beckius contulisset cum editione Arevaliana fragmentum illud quod legitur inter folia 28 et 32 codicis Montepessulani H 306 jam laudati (2) sub titulo : « *Incipiunt Differentiae. Inter metum et timorem et pavorem* », (3) poterat multo brevius redegisse « varias lectiones » suas : quod et ipsi et nobis minus molestum fuisset.

Lemmata enim CXXVIII praebet fragmentum quae, praeter IX prima, ordinem sequuntur Arevalianum. Quae utinam Beckius singula designasset numeris, ut facile agnosceretur qualis sit lemmatum series in ipso codice Montepessulano! Numeros illos supplevimus, et benevolum lectorem rogamus ut ipse suppleat, romanis quidem numeris, quo commodius distinguantur Beckiana lemmata a *nostris* quae numeris *arabicis*, ut consuevimus, semper et usque notabimus.

Archetypi quem modo restituimus partes prima et tertia plane atque aptissime cum fragmento illo consentiunt quod Beckius (4) e codice Montepessulano eruit.

Sola secunda pars lacuna laborat frusto illi Montepessulano propria, quippe in quo desint lemmata nostra 16-48. Ac, ne quis putet folium codicis casu fortuito interiisse cum Diffe-

(1) Cf. supra partem bibliographicam et infra quae dicemus de illius *magna collectione Montepessulana*, § II sub n° 6. — Ceterum ejusdem Beckii recentia opuscula duo *de Monumento Ancyrano* saepius laudavimus in thesi nostra gallica de Suetonio, quanquam ne illic quidem semper consentimus cum doctissimo viro.

(2) Supra p. 67, an. 5.

(3) Finis hic est : *Quod bestiae ventri dicuntur homines autem rationi oboedire* (sic). Cui fragmento liber qui inscribitur *Catalogue... des départements l. l.* tribuit n. 16.

(4) Cur scribamus « *Beckianum fragmentum, Beckium* » quamvis agamus de « *parte 16ª codicis Montepessulani* H 306 », explicatur infra p. 76, adn. 2.

rentiis XXXIII illis, vir doctissimus A. Fécamp, Bibliothecae Universitatis Montepessulanae Praefectus, sciscitantibus nobis luculentam descriptionem misit, per quam constat folii 29 recti versum septimum praebere finem lemmatis 15[i] nostri(1) et initium Differentiae 49[ae] nostrae.

Minime igitur fortuita est in codice Montepessulano lacuna illa quae propria est Beckiano fragmento. Cui peculiare item est additamentum (2) quo exornatur lemma nostrum 191; et brevis Differentia XXVII Montepessulana non ejusdem formulae est atque 51 nostra, quanquam utraque de verbis ***super*** *et* ***supra*** agit.

Ceterum fragmentum Beckianum continet:

in I[a] parte lemmata nostra

52-59 (3) quae apud Beckium (1884) numerari debent I-IX

in II[a] parte lemmata nostra

1-51 quae apud Beckium (1884) numerari debent X-XXVII (4) et

60-76 (5)................................ XXVIII-XLV,

denique, post magnam lacunam communem et Hagenio et Handio et Beckio,

in III[a] parte lemmata nostra 172-253 (6)

quae apud Beckium (1884) numerari debent XLVI-CXXVIII.

6. — ***De lacuna illa magna, quae Handio Hagenio Beckio atque etiam Rothio communis est, variis testimoniis partim explenda.*** — Fragmenta igitur et Handianum et Hagenianum

(1) Fécamp consentit cum Beckio in lemmate 15° nostro describendo.

(2) Beck. l. l. p. 54 s. f. : « *Post* adprobatur *haec* : exemplum hoc erit ut apud Ovidium dum perit infirmus nimium sublimia panni sicaris de qua re nomina facit eaque similitudo ut in Buculiscis vitiis ut a floribus de cortice ut vitibus uvae. » Versus corrupti hi sunt : Ovid. *Trist.* I, 1, 89 :

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, aequoreis nomina fecit aquis.

Verg. Ecl. V, 32 :

Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae.

(3) Fragmentum enim praebet lemma quod, ab Arevalo omissum, nos 52 *bis* vocamus ; de quo vide infra, p. 79.

(4) Namque, ut modo diximus, Beckius omittit lemmata nostra 16-48.

(5) Fragmentum enim praebet lemma quod, ab Arevalo omissum, nos 75 *bis* vocamus ; de quo vide infra, p. 79.

(6) Inest enim fragmento lemma quod, ab Arevalo praetermissum, nos 196 *bis* vocamus; de quo vide infra, p. 80.

et Beckianum cum illo archetypo plane congruunt qui, quanquam initio perturbatus et in media parte lacunosus, codex erat textus nostri.

Lacuna magna, quam in archetypo illo lemmata 77-171 nostra absumpsisse diximus, eadem agnoscitur in Differentiis pseudosuetonianis : namque lemma L^{um} Rothianum (1), quanquam cum nostro 169 conferri potest, tamen alieno fonte manare manifestum est.

Cum autem lacunam illam apud Pseudosuetonium ipsum reperiri docemus, non nobis in animo est inde concludere Rothianam collectionem nihil aliud quam textum nostrum continere. Namque et aliena multa lemmata praestat Rothius, et quae praebet communia diversissimo ordine disjecta spargit. Verum, ut constat Pseudosuetonium e fontibus quoque alienis plurima hausisse, ita certum est illius lemmata cum textu nostro commŭnia pendere ex archetypo eodem atque Handiana, Hageniana, Beckiana de quibus modo disseruimus.

Contra, notandum est grammaticos Keilianos praesertim septimi voluminis atque in primis Agroecium nec non Caprum ac Pseudofrontonem et Venerabilem Bedam nusquam fidiores nobis se praebere comites quam in longo illo lacunae magnae spatio, ubi nos una deserunt et Handius et Hagenius et Beckius et Rothius. Dicas benignos illos grammaticos solari velle solitudinem nostram; attamen, postquam unanimo consensu nos comitati sunt cum inter lemmata 87 et 95 tum inter 104 et 147, ipsi heu ! nos deserunt unanima quoque inclementia inter lemmata 81 et 87 atque inter 95 et 102 atque etiam fere inter 147 et 172.

Sed, quamvis tabulam nostram testimoniorum comparativam consulenti liceat plurima disserere de fontibus aut de affinitate aut de imitatoribus variarum collectionum quae inter se conferuntur, nos tandem dicere decet :

Claudite jam rivos pueri : sat prata biberunt.

§ II. — Tabula nostra testimoniorum comparativa describitur.

1. — *De tribus tabulae comparativae partibus.* — Jam enim tempus postulat ut lectori aequo tradamus claves loculorum XVI tabulae nostrae.

(1) Cf. infra tabulam nostram testimoniorum comparativam et Indicem I.

Continet illa tres partes. Quarum prima (ante columnam 9am quae titulos fert lemmatum nostrorum) praebet testimonia Keiliana quae columnas 2-7 nostras complent, inter columnam primam, « variis auctoribus » refertam, et 8am quam Servio et Pseudoservio tribuimus.

Secunda autem tabulae pars duas tantum columnas comprehendit, 9am titulis et 10am numeris lemmatum nostrorum ornatam.

Tertia pars et ultima, inter 11am columnam (quam Hageniana Collectio obtinet) et 16am (Isidoro concessam) praebet numeros respondentes Differentiis quae leguntur in codice Montepessulano H 306 ; cujus partem 16am (1) Beckius (anno 1884), — 20am (2) idem (anno 1883), — 21am Handius, — 22am Rothius publicaverunt.

2. — *De prima tabulae parte : de testimoniis et variis et Keilianis et Servianis.* — Columna 1a quae inscribitur AUCTORES VARII praebet testimonia LXXX circiter, ex quibus XL fere excerpsimus e Sexto Pompeio Festo et ex Paulo Diacono. XL reliqua praebuerunt aut Varro et Gellius et Nonius (apud quos nullum, ut quidem putamus, testimonium neglеximus) aut M. Tullius Cicero (3) et Pseudo-Asconius et M. Cornelius Fronto (4) et Aemilius Asper (5).

2a autem columna quae inscribitur « KEIL TT. 1-6 » enume-

(1) Partes codicis 16am, 20am, 21am, 22am sic vocamus cum libro qui inscribitur *Catalogue... des Départements.* Ceterum cf. *Indicem notarum* quem praeposuimus tabulae nostrae comparativae.

(2) Partem 20am codicis Montepessulani nos vocamus *Montepessulanam Syllogen Magnam*, quo facilius distinguatur a parte 16a quam nominamus *fragmentum Beckianum* et designamus nota *Beck.* (*1884*). Item, confusionis vitandae causa, partem 21am vocamus *Handianum fragmentum*, et pro « parte 22a » dicimus *Rothianam collectionem*, *Pseudosuetonium*. Ceterum sicubi Handius errat in « 21a parte » codicis transcribenda, menda corrigimus (cf. p. 84, adnot. 2) ; item, si quando Rothius discrepat a « parte 22a », varias lectiones allegamus quas Beckius a. 1884 publicavit (cf. prolegg. Indicis I nostri). De codice Montepessulano, cf. supra, p. 67, an. 5.

(3) Neque enim hic agimus de « Cicerone » cujus *Synonyma* et *Differentias* toties memoravimus, cum de editionibus ageremus.

(4) Neque enim hic agimus de « Frontone » cujus lemmata nostris parallela enumerabit columna 7a nostra.

(5) Cujus palimpsesto versum unum restituimus in *Mélanges de l'Ecole de Rome* 1889, pp. 17 sqq.

rat testimonia LX circiter quae praebent varii grammatici a Keilio editi in tomis I-VI. Dives parum est proventus quem suppeditant sex illa volumina. Perpaucas enim, quanquam satis curiose inquirebamus, Differentias repperimus communes libro nostro et Prisciano : itaque Keilianum volumen tertium ne semel quidem laudamus, et secundum quinquies tantum nominamus. Item in sexto volumine duo non amplius lemmata ad rem nostram pertinent : quod facile explicabitur, si memineris eum Keilii tomum colligere scriptores *rei metricae*. Verum, repperimus in volumine primo XXIV et in quarto XIV et in quinto VIII testimonia Differentiis nostris parallela. Quorum varios admodum auctores nominare in columna 2ª nostra supersedimus, ne nimiam in latitudinem extenderetur tabula XVI columnis instructa.

Ut vero potuimus Grammaticos tomorum I-VI Keilianos in una constipare columna, ita debuimus testimoniis voluminis VII (1) quinque concedere columnas, ex quibus duae sunt numeris ditiores quam 2ª columna nostra.

3ª enim columna quae inscribitur « CAP. (K 7) » enumerat, praeter XXXI testimonia Capri, XV lemmata variorum admodum auctorum, quos nominatim singulos allegare ea de causa supersedemus quam modo exposuimus, de praecedenti columma disserentes. Sed quo facilius dignoscatur Caper a ceteris, includimus inter parentheses testimonia variorum grammaticorum. Item Capri lemmata sicubi pertinent ad librum *de Verbis dubiis* asterisco notamus (rara enim sunt), reliqua XXVI testimonia praebet *Orthographia* Capri.

4ª autem columma *Agroecii* LX lemmata enumerat nostris parallela.

5ª columma *Bedae Venerabilis* LXXVI Differentias colligit.

6ª *Albini Magistri* L lemmata praebet, qui plerumque Bedam comitatur in tabula nostra.

7ª *Pseudofrontonis* XLVII Differentias enumerat.

Sed hactenus de collectione Keiliana : namque de volumine Hageniano quod dicitur (2) « Keilii Supplementum » mox agemus, disserentes de columna 11ª.

(1) Quod Hagenius, prae temporum ratione ignoravit, ut docuimus p. 72 adn. 1.

(2) Perperam, ut diximus p. 72 adn. 1.

8ª autem in columma, quae inscribitur « SERV. (AD V.) », disposuimus Differentias quae leguntur apud Servium (1) et Pseudoservium. Ceterum intra parentheses inclusimus lemmata quae Georgius Thilo litteris inclinatis impressit aut quae Albertus Lion uncis quadratis ornavit, quae sunt addimenta ἀδέσποτα illa quae primus Petrus Daniel Parisiis anno 1600 edidit. Quae, quanquam manant a codicibus quorum nullus inscriptum Servii nomen profert, pleraque tamen bonae frugis sunt : quippe quarum auctorem putet vir doctissimus Aemilius Thomas fuisse aut aequalem Servii aut antiquiorem ipso saeculo quinto (2). Ceterum haud semper consentiunt Serviana lemmata cum nostris parallelis : est ubi dicunt aut diversa aut contraria ; saepius asserunt ingenue verba idem omnino significare quae distinguit liber *de Proprietate sermonum*.

Jam vero lustravimus columnas nostras, a 1ª usque ad 8ªᵐ, quae constituunt, ut diximus, primam tabulae partem, vel quasi cornu sinistrum exercitus hujus coruscantis numeris.

3. — *De secunda tabulae parte : de titulis et de numeris 256 quibus designamus lemmata nostra.* — **9ª** columna quae, inter sinistrum cornu et dextrum, medium quasi agmen incedit, et sola ornatur litteris inter tot numeros humanioribus, profert titulos lemmatum libri *de Proprietate sermonum*. Quibus in titulis conscribendis cum nullius editoris in verba juraverimus, scripturae nostrae rationem reddere haud supervacaneum est, sicubi discrepat ab Arevaliana et Hageniana. Sed ut de titulo concludatur, disserendum est de textu totius lemmatis : quae materia idonea magis erit editioni (3) quam thesi latinae. Quare totum hunc apparatum et longiores excursus quibus impediretur descriptio tabulae nostrae, praesens in tempus consulto praetermittimus.

10ª autem columna numeros praebet Differentiis singulis

(1) In 8ª columna non agitur de Servianis scriptis quae leguntur in tomo IV Keiliano, de quo cf. columnam 2ªᵐ. — De litteris E et G, quas praebet interdum columna 8ª nostra, vide *Indicem notarum* quem tabulae comparativae praeposuimus. Hic agimus de « *Commentario in Vergilium* ». De titulis genuinis ab ipso Servio scriptis, qui omnes interierunt, cf. Thilonis praefationem p. XCIV.

(2) Essai sur Servius p. 295.

(3) Editionem libri *de Proprietate Sermonum* paramus, cujus quasi praefatio est praesens opusculum.

nostris respondentes. Qui Arevaliani sunt, exceptis tantum his tribus : 52 *bis*, 75 *bis* et 196 *bis*.

Etenim lemma quidem nostrum 75 *bis* in iis tantum scriptis legitur quae praebent magnam lacunam archetypi communis et Handio et Hagenio et Beckio. Sed utrum ille additione subditicia culpandus sit an reliquorum abavus omissione, in medio maneret, nisi lemma 75 *bis* nostrum obtineret locum minime ineptum in ea serie alphabetica de qua mox disseremus (1).

Ceterum perperam Migneus annotationem imprimit hanc : « 76. In Vat. 624 sequitur : *Inter merum et meratum hoc interest quod merum.* » Etenim, inter lemmata 75 et 76, codex noster R, qui ipse est Vat. 624, praebet haec : « *Inter merum et meratum hoc interest quod merum per se meratum mixtum.* » Quocum plane consentiunt Montepessulana lemmata ex quibus alterum fuit a Beckio (1884) publicatum, alterum ab Handio et libro inscripto *Catalogue des Départements* editum (2). Quod autem in lemmate nostro 134 Differentia persimilis legitur, inter *merosum et meracum*, non probat subditicium esse lemma illud 75 *bis* : plurima enim gemina et genuina lemmata liber noster profert, quae in decima columna notavimus.

Potest igitur de lemmate 75 *bis* ambigi utrum subditicium sit annon. Verum enimvero lemmata nostra 52 *bis* et 196 *bis* certo genuina sunt : quippe quae exstent et in scriptis lacuna supra dicta foedatis et in optimis codicibus, CDM nostris et Bongarsiano Gothofredi, ut testes minus (immo vero nimium) locupletes omittamus, nostros nempe φ ΓV.

Lemmatis enim 52 *bis* (quanquam integrum nusquam reperitur) reliquiae manent, quibus recensitis, concludere licet auctorem scripsisse : « Inter que et ve hoc interest quod que conjunctio est copula*tiva* ve disjuncti*va*(3). »

(1) Vide infra p. 81 adnot. 2.

(2) Cum textu codicis R conferimus lectiones 1° codicis *A* Hageniani : *meritum* (*v* supra *i*) *hoc est merutum mixtum* 2° nostri *V* : *merutum hoc — se dicitur merutum permixtum dicitur.* — Hagenius Handium secutus *meracum* scribit, quod potest esse rectum. — Ceterum cf. tabulam nostram testimoniorum ad lemma 134.

(3) *M* est copula ve disjunctio est.— *C* i. que et ve (*lacuna XI litterarum*) conjunctio est ve et distinctio. — *D* i. que et ve distinctio et. — *Bongarsianus* I. que et ve disjunctio. — *R* que conjunctio est ve disjunctio.— φ Γ que conjunctio ve disjunctio. — *V* que conjunctio ve autem disjunctio. — *Montepess.* (Beck. 1884) Conjunctio est et ve disjunctio est. — *Bern. A Hagenii* interest que conjuntio ve distrincio (*Hagenius scribit* districtio). — Ceterum verbum « *disjunctio* » aucto-

Item lemmati 196 *bis* auctoritatem praebet consensus codicum; quod, ut quidem putamus, ita legendum est cum codice nostro R : « Inter primum et priorem hoc interest quod prior alterum praecedit, primus omnes (1). »

Jure igitur Arevalianae collectioni tria haec lemmata adjungentur, ita ut reddantur libro *de Proprietate sermonum* 256 lemmata.

Sed, quanquam restituimus tres illas Differentias, non tamen putandum est nos librum repperisse integrum et talem qualis ab auctoris manu profectus sit. Contra, ante lemma nostrum 84 excidisse Differentias plures probabile est, unam saltem certum. Etenim sic incipit lemma hoc : « Inter geminatum, junctum et duplicatum quid intersit *quamvis acute intellegentibus breviter exposuerimus*, tamen sub exemplis latius doceamus... »

Tria verba titulus lemmatis illius profert : sperabamus fore ut ea conjuncta reperiremus in alia Differentia : quae inventa nobis simul indicium tradidisset de nomine auctoris incerti libri *de Proprietate sermonum*. Sed quanquam labore improbo et diligenti cura Differentiam illam rimati sumus et apud cunctos auctores quos comparat tabula nostra, et in Arevaliano Isidori indice, et in Woelffliniano Archivo et inter Doederleinianas Differentias, ubique nobis respondit altum silentium(2). Constat tantum librum *de Proprietate sermonum* neque 253 Arevalianis neque 256 nostris Differentiis expleri justo numero.

4. — *De ordine eorundem numerorum.* — Ut summam Arevalianam lemmatum non multum auximus, ita ordinem servamus quem praebet ille et qui fulcitur testimonio optimorum codicum, CDM nostrorum et *Bongarsiani* Gothofredi. Ipse enim Hagenius lacunosorum fragmentorum ordinis rationem reddere

ritate omnino caret : contra persaepe agunt grammatici de conjunctionibus « copulativis et *disjunctivis*. » Cf. Keilii indices et De - Vit s. v. *disjunctivus* et Serv. ad Aen. II, 37.

(1) Alteri M. — alter' *Bongarsian*. — Praecedet *Montepess*. (Beck., 1884). — Omnibus CDM *Bongarsian*. — Quod primus praecedit multos prior alterum *Hagen*.

(2) Etenim quid ad rem illud Tullianum : *Verba geminata atque duplicata vel etiam saepius iterata* (Partit. 21, 6) ? Num suspicari licet scholiastam nescio quem composuisse ad eum locum explicandum Differentiam nostrae parallelam ?

se posse negat (1). Neque nostram nostri facilius explicari fatemur.

Videtur tamen auctor harum Differentiarum interdum collectionem aliquam secutum esse ordine alphabetico digestam. Talem enim seriem, et inversam quidem, praebent bis septenae Differentiae, nostrae a 76ª ad 71ᵃᵐ quae a litteris LMNO incipiunt (2), et mox a 65ª ad 59ᵃᵐ quae cum litteris PRS seriem videntur continuare (3). Talem quoque seriem suppeditant quinque (4) Differentiae nostrae, a 214ª ad 210ᵃᵐ, quae a litteris OP incipiunt.

Ibi notatu dignum est quod auctor collectionis cujus initium est *Inter aptum et utile* ipse relegebat interdum Differentias, recurrendo *a fine ad initium*. Quod facile agnoscas si comparaveris ordinem lemmatum parallelorum (5) quae sub titulo F in illa Isidori alphabetica collectione reperiuntur; ubi respondent

priori lemmati 245 parallelum lemma............... 252
243.................................. 253
236.................................. 256
219.................................. 259

Ita, revisens lemma suum 245, explevit additamentum 252; mox recensens 243 suum, scripsit geminum lemma 253; deinde relegens differentiam suam 236, addidit germanam 256; denique recurrens ad 219ᵃᵐ, composuit parem 259ᵃᵐ.

Idem modus recensendi *a calce ad limen* allegari posset ad explicandum cur quaedam lemmata nostra disponantur secundum ordinem inversum ejusdem collectionis cujus initium est

(1) P. CXXIII : « Atque ordo ipse omnium horum quotquot Differentias continent librorum qua potissimum ratione nitatur, equidem non queo definire. »

(2) Qua in serie lemma 75 *bis* nostrum obtinet suum apte locum; cf. quae diximus, p. 79, adnot. 1.

(3) Licet etiam observare seriem alphabeticam inversam continuari a Differentia 76ª usque ad 59ᵃᵐ, interrupta tribus non amplius Differentiis 70, 69, 66. Etenim lemma 68 potest scriptum esse *Officio, inficio,* et lemma 70 apte incipit per P litteram. Ita series 76-59 comprehendit Differentias sedecim ordine alphabetico inverso digestas.

(4) Sex fortasse : potest enim lemma 215 initium cepisse a verbo quod est *obliceo*.

(5) Quorum infra exempla octo allegamus; ubi Differentia quidem altera non idem omnino praebet quod prior; sed utraque de iisdem verbis agit. Ita, e. g., Isidorus, relegens Differentiam 245 suam (*de fulmine*), meminit se alia posse addere (*de fulmine*), et scripsit Differentiam 252ᵃᵐ.

Inter aptum et utile. In qua si collegeris Differentias tituli T e. g. cum libro nostro communes, invenies parallela lemmata

collectionis illius	(A) 552......... et libelli nostri	204 (E)
	(B) 553......................	127 (D)
	(C) 556......................	114 (C)
	(D) 557......................	24 (B)
	(E) 562......................	22 (A)

Sed cum series lemmatum nostrorum minime continua sit, temerarium sit quidquam inde concludere (1).

Ceterum auctor collectionis nostrae *de Proprietate Sermonum* interdum aut congregat verba a littera eadem incipientia, aut sequitur ordinem alphabeticum *directum*, ut inter 34 et 36 (ter V), 97 et 102 (sexies C), 109 et 111 (ter A), 148 et 151 (quater D), 152 et 164 ubi leguntur tredecim Differentiae a litteris N-V incipientes, dummodo lemmatis 156 primum putemus verbum fuisse id quod est *obturatus* : rarius enim est quam *clausus* quocum ibi componitur (2).

Postremo est ubi series quaedam breviores nostrorum lemmatum ipso rerum sensu continuantur : ita Differentiae 170-171 distinguunt verba activa et deponentia; 172-173 comparant substantiva et derivata ab illis adjectiva; denique auctor transit a verbo *immolare* ad immolatam *victimam* (181-182).

Quidquid id est, ratio ordinis Arevaliani haud facile explicabitur causa aut philosophica aut historica. Sed eodem vitio laborant pleraeque Differentiarum collectiones. Quaecumque enim non sequuntur elementorum litteras praebent adversariorum species. Quare ordinem Arevalianae editionis, quia idem est atque optimorum codicum, servabimus; et, quod ad lemmatum numeros attinet, nobis sat erit tres Differentias Syllogae reddidisse et ostendisse ne ita quidem restitui integram collectionem.

(1) Item cf. lemmata tituli V collectionis illius 574. 577. 580 quibus respondere videantur nostra 249. 207. 179. Sed frustra requisivimus *continuas* series parallelas.

(2) Ut supra notavimus lemmatibus quinque tituli T collectionis Isidori alphabeticae respondere quinque lemmata nostra ordine *inverso*, ita hic observari potest lemmatibus quinque (434. 441. 446. 461. 465) tituli P ejusdem collectionis respondere quinque Differentias nostras ordine *recte eodem* (77. 87. 91. 143. 158). Sed quanquam tales series parallelas rimari longum satis est, non potest inde colligi, ut putamus, auctorem utriusque collectionis esse unum et eundem.

5. — *De tertia tabulae parte : de numeris et notis quibus ea lemmata signamus quae leguntur apud Hagenium aut Beckium (1884) aut Handium aut in libro qui inscribitur Catalogue... des Départements.* — Media tabulae nostrae parte recognita, restant sex turmae numerorum lustrandae. De quibus cum obiter jam disseruerimus, sat erit pauca tantum addere, vitandae modo obscuritatis causa.

11ª columna, quae HAGEN inscribitur, numeros praebet quos Hagenius poterat attribuere singulis lemmatum quae edidit inter paginas 275 et 290 voluminis illius quod Keilianum nuncupatur « Supplementum », quanquam, anno 1870 typis excusum, praecessit ultimum atque etiam paenultimum ejusdem collectionis tomum (1). Duae enim causae suaserunt ne ad paginam versumque Hagenii referrentur numeri nostri : primum quod notatio nostra conspicuum facit ordinem lemmatum, et quod, numerorum numero ad minimum reducto, minuuntur simul typographica menda; deinde quod sine molestia lector benevolus conferre potest seriem paginarum Hagenii cum numeris XIªᵉ columnae nostrae, si modo interdum reviserit quae nuper disseruimus, comparantes ordinem Hagenianorum et nostrorum lemmatum (2).

12ª item columna nostra, sub titulo « *H.* BECK », numeris describit seriem lemmatum a Beckio anno 1884 collatorum qualem legere est in Montepessulano codice : quae facilius etiam quam Hageniana cum ordine Arevaliano comparari potest, ut supra diximus(3).

Eadem quoque ratione in columna

13ª, quae inscribitur « *H.* HAND », notavimus lemmata quae Handius publicavit a. 1848 et de quibus jam fusius observationes aliquas exposuimus (4). Hic igitur satis erit addere nos in XIIIª columna designavisse littera *c* numero addita Differentias quae in libro quoque transcriptae sunt qui inscribitur *Catalogue général des Manuscrits des Bibliothèques publiques des Départements* t. I p. 412. Feliciter accidit ut auctor libri ejus (qui a. 1849 publici juris factus est) ignoraret Handianum

(1) Cf. supra, p. 72, an. 1.
(2) Vide supra, § I, sub nº 3.
(3) § I, 5.
(4) § I, 2.

Programma a. 1848 editum. Itaque cum persuasum haberet Differentiarum LXXVI suarum primas LV tantummodo evulgatas esse (1), credidit reliquas XXI sibi in Catalogo transcribendas esse. Neque reapse actum ille egit: namque nobis per hanc transcriptionem videre licet Handii apographum parum fidele fuisse : quod e. g. omittit omnino Differentiam 176 nostram quam Catalogus supra laudatus reddit totam et integram (2).

6. — *De numeris et notis quibus designamus lemmata Pseudosuetoniana et Differentias Magnae Syllogae Montepessulanae et ad haec pertinentia opera Reifferscheidii, Beckii, Rueckii.* — Postquam fragmenta textus nostri et ab Hagenio et a Beckio et ab Handio et in illo Catalogo edita aut collata aut transcripta lustravimus, id restat ut ultimas tres tabulae nostrae columnas recenseamus : quae cum singulis Differentiis nostris eas collectiones comparant quarum Indices (ut nostra quidem sedulitas ferebat) integros instituimus : Pseudosuetonianam dicimus ac Montepessulanam Magnam et Isidorianam cujus initium est *Inter aptum et utile*.

14ª igitur columna, quae inscribitur « *H.* ROTH », numeros praebet lemmatum nostris parallelorum quae leguntur inter paginas 306 et 320 editionis Suetonianae a Rothio a. 1858 publicatae. Columnae ejus numeri reperiuntur in nostro collectionis illius Indice : in quo (intra parentheses inclusi) ascribuntur, juxta numeros paginam et versum Rothianae editionis designantes. In hac tabula comparativa, haud secus atque in Indice illo, notavimus littéra R lemmata quae, post Rothium, ipse Reifferscheidius edidit inter paginas 274 et 296 *Reliquiarum* Suetonianarum. Denique littera *b* in eadem columna signavimus ea lemmata quorum varias lectiones a Beckio collatas transcrip-

(1) Primas LV illas a Putschio p. 2203 publicatas esse noverat. Quas Hagenius putat Putschium edidisse secundum codicem quem *B* notat ; cujus vide Anecdot. Helvet. p. CXIX et adnotationem ibi ascriptam. — Ceterum cf. supra § I sub nº 4 p. 72, an. 5. — De Putschio egimus p. 58 et p. 61.

(2) In Differentia inter *aegrum et aegrotum* Handius imprimit haec : « *hoc interest, quod aegrum aegrotus corpore.* » Sed transcriptio supra laudata testatur codicem recte praebere « quod aegrum *mente* aegrotus ». — Cf. supra § I sub nº 2 initio.

simus in annotationibus junctis nostro collectionis Rothianae Indici (1).

Ceterum, quanquam sylloge illa compilavit partim archetypum aut apographon archetypi Hageniano et Beckiano et Handiano fragmentis communis, lemmata aut addit aut omittit multa, et parallelas Differentias dispari omnino ordine dispergit (2).

15a autem columna nostra, cui titulus inditus est « *H.* MAGN. SYL. » numeros suppeditat lemmatum nostris parallelorum quae leguntur in collectione a Beckio anno 1883 edita, cujus Indicem (3) instruximus. Quae, ditior libro *de Proprietate sermonum*, utilibus testimoniis plerasque Differentias nostras comitatur, neque nos deserit ne in lacuna quidem ubi Beckianum fragmentum (4) et Hagenius et Handius et Rothius deficiunt. Optime igitur meritus est de his studiis v. d. Beckius, Montepessulanum illum thesaurum evulgans, quo sola (nec multo) uberior est collectio Isidoriana cujus initium est *Inter aptum et utile* (5). Multum ergo conferre potest ad editionem textus nostri parandam Beckiana haec dissertatio observationibus et suis et Baehrensianis ornata rarioribus tamen et interdum parum certis, ut fit, ubi dubius maxime textus, collato uno non amplius codice, recensetur.

Rueckius igitur nonnulla jam emendare in editione Beckiana conatus est : cujus observationes notavimus littera *r* quam, in tabula comparativa sicut in nostro collectionis ejus Indice (6), sequitur numerus paginae Archivi Woelffliniani.

Ceterum ubi Beckianum lemma ab eodem verbo ac nostrum incipit, columna 15a praebet modo numerum margini ascriptum dissertationis Groningianae. Verum huic numero litteram capitalem (Montepessulanae Differentiae initialem) praeponimus, ubi ab alio verbo incipit titulus lemmatis nostro parallelus : ut enim docent prolegomena Indicis II nostri, a singulis litteris initialibus incipiunt singulae series numerorum, apud Beckium.

(1) Vide infra prolegg. ad Indicem I nostrum.

(2) Cf. supra, § I, sub n° 6.

(3) Vide infra Indicem II nostrum.

(4) Quod vocamus « H. Beck. » et de quo egimus supra § I sub n° 5.

(5) De summa lemmatum in utraque collectione cf. prolegomena nostra ad Indices II et III.

(6) De Rueckiano opusculo cf. prolegomena Indicis II nostri.

7. — *De Differentiis Verborum Isidorianis quarum initium est Inter aptum et utile cum libro nostro De Proprietate sermonum comparatis.* — Denique columna nostra **16ª** et ultima, quae inscribitur Isid., numeros Arevalianos praestat *Differentiarum Verborum* (1) quarum initium est *Inter aptum et utile.*

Quarum summa computata, facile hoc concluditur : librum *de Proprietate sermonum* Isidorus, si unquam composuit, non scripsit ante suas *Differentias verborum.* Etenim, si quis contendere velit (2) Isidorum potuisse de Differentiis edidisse priorem libellum sine ullo alphabetico ordine conscriptum, mox majorem librum per elementorum litteras digestum, respondere liceat : — Atenim ex iis CCLVI Differentiis prioris istius libelli quas servavimus, CXXXIX frustra requiruntur in majore illo libro. Neque tot neglexisset Isidorus, si voluisset prius istud opusculum redigere in operam ampliorem ac melius ordinatam. Ceterum, quod summae lemmatum comparatae indicant idem confirmat praefatio libri *de Differentiis Verborum* : ubi nullam mentionem reperire est quae ad priorem istum libellum referri possit. Omissio autem mentionis quae ibi desideratur eo notabilior est quod, in illa praefatione, Isidorus loquitur de « *sermonum proprietate* ». Quae ipsa verba scribens, Isidorus certo meminisset libelli *De Proprietate sermonum*, si re vera eum antea composuisset. Titulum enim hunc proprium Differentiarum nostrarum esse atque genuinum testatur consensus unanimus codicum qui neque mutili sunt neque additamentis adulterantur, nostrorum CDM et *Bongarsiani* Gothofredi (3). Cum igitur Isidorus in praefatione collectionis suae alphabeticae scripserit « *Sermonum proprietatem* » neque librum *de Proprietate sermonum*, occasione tamen praebita, memoraverit, jure licet concludere Hispalensem episcopum aut nunquam aut post editas *Differentias Verborum* suas breviorem libellum composuisse.

(1) Quem titulum reservamus collectioni illi, ut monuimus in praefatione hujus opusculi, ubi enumeravimus tres Differentiarum libros qui sub Isidori nomine feruntur. — Ceterum cf. prolegomena Indicis III nostri.

(2) Arevalus (t. I p. 456, et apud Mign. t. 81, col. 358 n. 7) conjecturam illam indicat, quanquam concludit ex hac numerorum comparatione « duos potius diversos auctores esse ». Sed temere hoc inde colligit ; quod non probat ille neque ibi neque alibi. Ceterum cf. infra pp. 92 sq.

(3) Vide descriptionem nostram codicum.

Utrum autem collectionem nostram scripserit annon, neque affirmare neque negare licet, sive confertur titulus noster cum verbis modo laudatis Isidorianae praefationis (neque enim proprium est episcopo Hispalensi vocem « *sermonum* » usurpare ubi « *verborum* » (1) exspectaveris), sive comparantur lemmata communia libro *de Differentiis Verborum* alphabetico et libello *de Proprietate sermonum* nostro.

Etenim CXVII illa lemmatum paria operae pretium est ordinare, pro ut libellus cum libro collatus praebet in singulis Differentiis

(A) seu res novas,
- (*a*) aut idem fusius
- (*b*) aut idem et plus
- (*c*) aut plus ac minus
- (*d*) aut diversa omnino

(B) seu res jam antea expositas,
- (*v*) aut idem itidem
- (*x*) aut idem similiter
- (*y*) aut idem brevius
- (*z*) aut non plane idem sed paulo minus.

Quo commodius lector aequus intellegat quid sibi velint rubricae nostrae, subjungimus sub singulis bina exempla (ubi notamus arabicis numeris lemmata libri nostri, et romanis alterius) :

a

2. Inter *nullum* et *neminem* hoc interest quod nullus ad universa potest referri, nemo ad hominem ; et est nemo quasi nec homo.

CCCLXXXVII. Inter *neminem* et *nullum*. Neminem ad hominem referimus, nullus ad omnia.

b

127. Inter *temperantiam*, *temperationem* et *temperiem* hoc interest quod temperantia animorum est, temperatio rerum, temperies aurarum.

(1) Ita e. g. Nonius Marcellus librum inscribit quartum « De varia significatione *sermonum* ». Attamen notandum est praefationem Isidorianam haud secus ac titulum nostrum *jungere* duo verba *Proprietas sermonum*. Res dubia manet.

DLIII. Inter *temperantiam* et *temperationem* sic discernitur, ut temperantia animorum sit, temperatio rerum.

c

87. Inter *primum* et *priorem* hoc interest quod primus e multis, prior ex duobus. Sic inter postremum et posteriorem observabis.

CCCCXLI. Inter *primum* et *priorem*. Primus e multis, prior e duobus, primarius a dignitate.

d

59. Inter *simulare* et *dissimulare* hoc interest quod simulamus quod nescimus, dissimulamus quae scimus (1).

DXLI. Inter *simulare* et *dissimulare*. Qui simulat vult videri facere quae non facit, qui dissimulat non vult videri facere quae facit.

v

90. Inter adversum et adversus hoc interest quod adversum te adversarius, adversus te imitator (mutator *Arevalus qui tamen ipse scripserat recte lemma quod subjungimus*).

XXIX. Inter adversum te et adversus te. Adversum te adversarius, adversus te imitator.

x

94. Inter *acervum* et *acerbum* hoc interest quod acervus moles est, acerbus immaturus et asper.

XLIII. Inter *acerbum* et *acervum*. Acervus per duas *vv* scribitur et significat molem. Acerbus per *b* scriptus significat immaturum.

y

210. Inter *paret* et *apparet* hoc interest quod paret imperio, apparet videntibus (2).

XXXI. Inter *apparet* et *paret* [*Al.*, adparet et apparet] Apparet [*Al.*, adparet] qui videtur, paret [*Al.*, apparet] qui

(1) Additamentum *et negamus nos scire*, inter archetypi versus insertum, cecidit feliciter post *scimus* (in codice R), et inepte post *nescimus* (in DM, ne codices reliquos hic nominemus). Ceterum nullus codex scribit *et negamus nescire ;* quae verba apud Arevalum leguntur, invita syntaxi. Hagenius mira edit.

(2) Mira edit Thewrewk de Ponor de *paret* et *parret* (sic).

obsequitur non regulae ratione, sed discernendi intellectus gratia (1).

z

108. Inter *donum* et *munus* hoc interest quod donum dantis est, munus accipientis. Illud a dando, hoc a muniendo (2).

CCCLX. Inter *munus* et *donum*. Munus est debitum, ut [*Al.*, in] patrono; donum honorarium est. Item donum dantis est, munus accipientis. Dictum autem donum a dando, munus a muniendo vel monendo.

Contrarias vero Differentias duorum librorum nunquam esse putamus. Ut igitur expleatur catalogus exemplorum, hic subjungimus duo lemmata inter se contraria. Sensum verborum *misereri* et *miserari* distinguit lemma 42 nostrum, de quibus haec affirmat Pompeius (K. V, 238, 14) : « Sed aliud est mise-« reor, aliud miseror, quantum ad declinationem pertinet, *non* « *quantum ad sensum. Nam idem est miseror illum et mi-* « *sereor illius...* »

Nunc vero, sub rubricis octo quas brevi definitione et exemplis distinximus, numeros ordinabimus lemmatum comparatorum.

8. — *Quattuor classes instituuntur lemmatum nostrorum aliquid addentium Isidorianis Differentiis Verborum parallelis.* — Sub rubrica

(*a*) inscribere est septem tantum lemmata libelli nostri :

2 cf. libri maj.	387		81 cf. libri maj.	178	
23	—	370	115	—	572
29	—	581	228	—	146
52 *bis*	—	592			

Sub rubrica autem

(*b*) numerantur decem nec plura lemmata :

15 cf. libri maj.	137		127 cf. libri maj.	553	
46	—	296	139	—	149
53	—	106	142	—	16
125	—	24	197	—	452
126	—	154	201	—	78

Rubricam

(1) Lemma transcribimus quale Arevalus edit, ut videat lector quibus auxiliis juvemur in his studiis.

(2) Codices omnes nostri praebent *est* ab Arevalo praetermissum et *hoc* pro verbo quod est *istud* apud Arevalum.

(*c*) imponere possumus octo Differentiis :

15	cf. libri maj.	166	87	cf. libri maj.	441
21	—	529	177	—	37 + 54
29	—	21	214	—	457 + 459
38	—	584 sq.	216	—	522

Denique annumerare rubricae
(*d*) lemmata 23 licet :

8	cf. libri maj.	494	102	cf. libri maj.	93
24	—	557	140	—	363
28	—	512	150	—	169
35	—	595	194	—	444
40	—	81	204	—	552
54	—	65	207	—	577
—	—	597	219	—	132
56	—	428	223	—	338
59	—	541	234	—	437
61	—	507	240	—	134
64	—	453	249	—	574
95	—	344			

Itaque, si summam numerorum sub rubricis (*a*), (*b*), (*c*), (*d*) positorum reputaveris, agnosces 48 lemmata nostra aliquid novi addere parallelis majoris libri Differentiis.

9. — *Item quattuor classes ordinantur lemmatum nostrorum nihil addentium iisdem Differentiis Verborum.* — Sed rursus sub rubricis (*v*), (*x*), (*y*), (*z*) ordinabimus plura etiam (nam 76 (1) sunt) lemmata nostra nihil novi praebentia aut etiam minus abundantia seu verbis seu rebus ipsis.

Etenim rubricae
(*v*) subjicere possumus 19 lemmata :

89	Cf. majoris lib.			164	117	Cf. majoris lib.			389
90	—	—	—	29	118	—	—	—	27
109	—	—	—	19	120	—	—	—	25
111	—	—	—	26	121	—	—	—	99
113	—	—	—	368	123	—	—	—	104

(1) Si quis lemmata 48 tituli nostri (A) et haec 76 tituli (B) summam composuerit, notabit nos hic 124 Differentiarum paria considerare. Quod contrarium videtur esse propositioni nostrae de « CXVII lemmatum paribus » (V. supra p. 87 post annotationem). — Sed 7 lemmata nostra sunt quae singula cum binis majoris libelli conferri possint. Quorum septem lemmatum unum vide, e. g., sub A (*d*), lemma 54.

130	Cf. majoris lib.	518	137	Cf. majoris lib.	333
132	— — —	103	141	— — —	347
133	— — —	334	179	— — —	580
135	— — —	510	244	— — —	64
136	— — —	530			

Rubricae autem (*x*) attribuimus lemmata haud minus 23 ex quibus nonnulla melius etiam praecedenti classi redderentur, si Arevalianus textus paulo certior esset. Quidquid id est, pleraque horum parium idem similiter praebent :

5	Cf. libri maj.	526	134	Cf. libri maj.	287+41
18	— — —	497	150	— — —	383
48	— — —	208	158	— — —	465
50	— — —	163	173	— — —	115
68	— — —	311	186	— — —	454
—	— — —	405	195	— — —	39
91	— — —	446	200	— — —	501
94	— — —	43	209	— — —	157
102	— — —	131	229	— — —	217
108	— — —	28	232	— — —	365
114	— — —	59	240	— — —	62
116	— — —	591			

Sub rubrica (*y*) jure, ut videtur, ordinantur 20 lemmata quae sequuntur :

8	cf. libri maj.	244	58	cf. libri maj.	475
12	— — —	144	59	— — —	515
16	— — —	91	66	— — —	69
17	— — —	35	70	— — —	264
22	— — —	562	71	— — —	410
25	— — —	301	78	— — —	534
31	— — —	30	107	— — —	46
49	— — —	310	163	— — —	503
51	— — —	509	206	— — —	402
52	— — —	214	210	— — —	31

Denique quattuordecim lemmata nostra rubricae (*z*) ascribi debent, quae sunt :

1	cf. libri maj.	439	95	cf. libri maj.	336
69	— — —	95	108	— — —	360
73	— — —	423	143	— — —	461
77	— — —	434	148	— — —	135

198	— — —	14	239	— — —	207
217	— — —	495	241	— — —	121
224	— — —	300	242	— — —	237

10. — *De his comparatis numeris concluditur.* — Fatemur quidem, si quis cum 48 communibus Differentiis nostris quae aliquid (et interdum parum) novi addunt componat 76 illas quae nihil aliud quam lemmata majoris libri (et interdum breviora) referunt, sibi persuadere imprudenter possit Isidorum non scripsisse libellum *de Proprietate Sermonum* post editam alphabeticam collectionem suam. Etenim, dicat ille, quis credat auctorem quemquam partem tertia majorem libelli posterioris implevisse Differentiis e priore libro inepte repetitis?

Attamen cavendum est ne hic obliviscamur Isidorum haud semel opera composuisse gemina de una eademque materia. Ita e. g. constat Hispalensem episcopum binas scripsisse *Historias Gothorum Vandalorum et Suevorum :* quarum prior quidem et brevior cum morte Sisebuti regis, qui a. 621 obiit, terminatur; posterior autem et fusior a. 626 composita est (1). Rursus, post *Chronica* sua magna seorsum edita, Isidorus opus idem ad breviorem formam redactum *Originibus* suis inseruit sub titulo *De Discretione temporum* (2). Eadem igitur ratione potuit Isidorus de Differentiis verborum priorem librum ac posteriorem libellum composuisse, partim ex eodem fonte; quem plerumque indicare nobis licet : ut enim videre est aspicienti tabulam nostram comparativam (3), cum Agroecio fere omnia concordant lemmata quae in libro et in libello idem itidem praebent.

Ceterum, quanquam diversi Differentiarum auctores de acutulis quaestionibus iis toties discrepant, et quanquam tot lemmata parallela in utraque collectione inveniuntur, notabile est nunquam librum libello contradicere (quantum saltem per pravum Arevali textum judicari potest).

(1) Hertzberg, *Die Historien...* p. 19. Cf. Ebert, t. I (1889), pp. 599 sq. et Teuff. Sch. pp. 1293; cf. partem bibliographicam hujus opusculi.

(2) Hertzberg, *Ueber die Chroniken...* pp. 280 sqq.; Ebert l. l., p. 598, a. 1.

(3) Quae est pars V^a (vel sequens) opusculi nostri. Ex iis 19 Differentiis quas sub rubrica *v* modo ordinavimus, duo ultima sola non reperiuntur apud Agroecium.

Utrum igitur libellus sit Isidorianus, an non, hoc opusculum relinquit in medio. Res in incerto maneat, vel ipsis collatis codicibus. Sed de titulis illorum disserere praesens in tempus omittimus. Jam enim, cum de editionibus XXVIII nostris concluderemus, animadvertimus limites hujus opusculi angustiores vetare ne fusius de codicibus IX a nobis collatis ageremus :

Est modus in rebus ; sunt certi denique fines...

Id igitur restat ut tabula testimoniorum comparativa, de qua affatim disseruimus, tandem lectori aequo apponatur, una cum IV Indicibus, per quos liceat columnarum XVI nostrarum interpretari « *numeros innumeros* ».

PARS V

TABULA COMPARATIVA TESTIMONIORUM XVI COLUMNIS INSTRUITUR

Index tabulae testimoniorum comparativae notas explicans.

COLUMNA 1ª quae inscribitur AUCTORES VARII enumerat testimonia quae praebent :

Asper (in ed. Servii ab A. Lion publicata),
Cicero (ed. Orell. Bait. Halm.),
Festus (ed. Thewrewk de Ponor),
Fronto (ed. Naber),
Gellius (ed. Hertz),
Nonius (ed. Mueller),
Paulus (ed. Thewrewk de Ponor),
Pseudo-Asconius (cf. Cic. ed. Orell. Bait. Halm),
Varro (edd. L. et A. Spengel).
De 1ª columna cf. supra p. 76.

— 2ª quae inscribitur « KEIL TT. 1-6 » enumerat testimonia quae praebent varii Grammatici latini a Keilio editi in tomis I-VI (Cf. pp. 76 sq.).

— 3ª quae inscribitur « CAP. (K 7) » enumerat testimonia quae praebent in tomo VII Keiliano :

Caper (*Orthographia*), — Caper (*De Verbis dubiis*, cujus libelli lemmata *asterisco* notamus), — varii Grammatici (quorum testimonia inter parentheses inclusimus). Cf. supra p. 77.

COLUMNA 4ª quae inscribitur AGROEC. enumerat testimonia quae praebet Agroecius in tomo VII Keilii.

— 5ª quae inscribitur BEDA enumerat testimonia quae praebet Beda in tomo VII Keilii.

— 6ª quae inscribitur ALBIN. enumerat testimonia quae praebet Albinus in tomo VII Keilii.

— 7ª quae inscribitur [FRONT.] enumerat testimonia quae praebet Pseudo-Fronto in tomo VII Keilii. Cf. supra p. 77.

— 8ª quae inscribitur « SERV. (AD V.) » enumerat testimonia quae praebent, in ed. a G. Thilo et H. Hagen publicata,

Servius et Pseudo-Servius cujus testimonia inter parentheses inclusa sunt; numeri autem nostri quibus praeposita est littera E lectorem remittunt ad « Commentarium in Bucolica », — quibus praefixa est littera G, ad « commentarium in Georgica », — ceteri, ad « Commentarium in Aeneidos libros. » (Cf. supra p. 78).

— 9ª quae inscribitur DE PROPRIETATE SERMONUM enumerat lemmatum nostrorum titulos (Cf. supra p. 78).

— 10ª quae inscribitur NOS praebet numeros Differentiis singulis nostris respondentes; qui sunt numeri 253 Arevaliani, insertis numeris 52 *bis*, 75 *bis*, 196 *bis* nostris quos Arevalus perperam omisit. (Cf. supra p. 79).

— 11ª quae inscribitur HAGEN praebet numeros quibus Hagenius debebat designare singulas Differentias quas edidit in volumine quod dicitur « Supplementum » Keilianorum Grammaticorum (Cf. p. 83).

— 12ª quae inscribitur « *H.* BECK » praebet numeros quibus Beckius designare poterat singulas Differentias quae leguntur inter folia 28 et 32 codicis Montepessulani H 306 (quam codicis partem 16ªᵐ vocat liber qui inscribitur *Catalogue... des Départements*). Differentiarum earum varias lectiones publicavit Beckius a. 1884 in appendice

programmatis quod inscribitur « *Sulpicius Apollinaris* » pp. 51-57 (Cf. supra p. 72).

COLUMNA 13ª quae inscribitur « *H.* HAND » praebet numeros (1—75 et 72 *bis*) quibus Handius designare debebat singulas Differentias quae leguntur inter folia 58 et 61 codicis Montepessulani H 306 (quam codicis partem 21ªᵐ vocat liber qui inscribitur *Catalogue... des Départements*). Qui liber, in columna 13ª nostra *c* notatus, suppeditat transcriptionem ultimarum XXI Differentiarum, quarum unam perperam omisit Handius in editiuncula quam publicavit fragmenti ejus a. 1848 (Cf. supra p. 83).

— 14ª quae inscribitur « *H.* ROTH » praebet numeros quibus Rothius Pseudo-Suetonii Differentias nostris parallelas designavisset, si voluisset inter pp. 306 et 320 editionis suae Suetonianae repraesentare per numeros seriem lemmatum quae leguntur inter folia 61 et 68 codicis Montepessulani H 306 (quam codicis partem 22ªᵐ vocat liber qui inscribitur *Catalogue... des Départements*). Littera R designat Reifferscheid. (Reliq. Suet. pp. 274-296); littera *b* remittit lectorem ad eas Beckii varias lectiones quas transcripsimus in adnotationibus Indicis I nostri ; cujus cf. prolegomena (et vide supra p. 84).

